



Handwritten signature in brown ink, possibly reading 'J. H. ...'.

Large handwritten signature in blue ink, possibly reading 'J. H. ...'.

Small handwritten number '23' in brown ink.

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.
- 7.
- 8.
- 9.
- 10.
- 11.
- 12.
- 13.
- 14.
- 15.
- 16.
- 17.
- 18.
- 19.
- 20.
- 21.
- 22.
- 23.
- 24.



DE
HARMONIA

FIDEI,

QUÆ justificat, cum FIDE, QUATENUS
justificare dicitur,

DEMONSTRATIO SYMBOLICA

Ex Augustana Confessione, ejusque Apo-
logia præcipue,

Quam

Una cum brevi collatione

CONCILII TRIDENTINI

PRÆSIDE

PAULO ANTONIO,

SS. Th. L. ejusdemque P. P. Ord. nec non

Facultatis suæ hodie Decano, & Consist. Magdeb. Consil.

examinandam

ad d. XXV. Anno M. DC. XCVI,

submit

WOLFGANGUS BALTHASAR *Kaumer*

Augustanus, jam V. D. M.

Secunda, eaque paulo auctior editio.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

AD
VIRUM AMPLISSIMUM

DN. JOH. THOMAM
RAUNERUM,

Civem & Mercatorem apud Augusta-
nos suos integerrimum,

vel sola FRATRIS Augustani

appellatione suavissimum.

EPISTOLA DEDICATORIA

* * *

* *




Quas, *Frater carissime*, cur Augustanam hanc fi-
dei harmoniam Nomini tuo inscribam, plures
recensere possem. Nam fidem tuam fraternam,
ab ineunte ætate mea ad hanc usque horam com-
probasti mihi fidelissime; adeo ut dubius sim, Fratris an
Parentis loco venerarite debeam. Animus in præsentia
non est, omnia tua erga consanguineos tuos deprædicare
beneficia; id tamen silentio præterire non possum, quod Deus
vitæ meæ Conservator, hætenus Te instrumento usus
fuerit ad sustentandam beneficiis tuis vitam meam Acade-
micam. Est DEUS, qui animos hominum dirigit, sic
ut fontes aquarum, quocunque vult. Exemplum ani-
mi fraterni à DEO moti erga fratrem, ad gloriam DEI
hiscæ æternæ mando memoriæ; ut quis intelligat, tua,
frater, beneficia, non in ingratum fratris cecidisse ani-
mum

num. πιστός ὁ θεός. *fidelis est Deus.* Simus Dei imitatores! accipe, frater dilectissime, signum hocce fidelis mei erga te animi. Fides, quæ nos DEO unit, regnet in cordibus nostris! Surget exinde verus fratrum amor. Nascentur innumera bona spiritualia, quibus DEUS Te in Augusta patria cumulabit, pro beneficiis, quibus me fratrem tuum affecisti in hoc mundo. Arripe, frater per dilecte, valida fidei manu CHRISTUM, Dominum & Salvatorem nostrum, in quo verus omnium divitiarum thesaurus. Abeant, valeant, discedant, quæcunque cor nostrum ab animæ opibus, ad nugas mundi hujus citò transituri, deducere volunt! Viribus divinis obtinebimus quæ desideramus, vitam æternam, fidem non fucata, vocationem firmam, fidei in fidem progressum & tandem finem fidei, aspectum gloriæ Numinis æterni ac Salvatoris nostri Domini Jesu Christi. Jungamus preces nostras indefessas, suspiria spiritus, ignem amoris, tolerantiam afflictionis. Hoc modo sanguine & spiritu uniti, æternum unum erimus, sicut Pater Cœlestis cum Filio Salvatore nostro unum est. O dulce nomen fratris! O dulcem unionem, fraternam!

Tuus totus

WOLFG. BALTH. RAUEN



Tot sunt Scripturæ lo-
 ci, qui justificationem hominis
 peccatoris coram Deo, fidei in
 Christum Jesum mediatorem,
 exclusa omni fiducia operum &
 proprietatum virium, tam aperte
 tribuunt, ut, quotquot vim Scri-
 pturæ intelligunt, non modo divinæ veritatis sibi sint,
 intra sese conscii, sed & cum parrhesia sciscitari ex aliis
 possint: num frustra existiment, idem toties repeti?
 num arbitrentur, excidisse Spiritui S. non animadvertenti
 has de fide justificante voces? certe, gravi hac quæ-
 stione conscientiam dissentientium aggressi sunt ma-
 jores nostri in apol. A. C. p. 77. 81. præter ea, quæ hanc in
 rem p. 70. 79. 101. 118. 121. & in ipsa A. C. p. 10. 11. 16.
 urgent. Non minus tamen necessarium est nosse,
 quoad rem, quatenus fides justificet, & que sit vera illa,
 unica atque viva fides. quod ipsum eadem opera co-
 gnoscere licet ex illis ipsis Scripturæ locis in pleno suo
 ambitu consideratis. quoniam autem in hunc usque
 diem hæsitari hic deprehendimus, lubet post habitas
 hæctenus lectiones in A. C. & concilium Tridentinum,
 ex A. C. ejusque apologia præcipue, certa & clara rei
 (prout circa actum reflexum ea præcipue versatur, &
 sic

fic ab apultis percipi aut requiri potest) fundamenta
repetere, cum iisque concilii Tridentini antithesin con-
ferre; eo quod usus horum scriptorum non modo ma-
gis obuius est, sed & ad cognoscendas publicas senten-
tias ex publica autoritate multo aptior. eum in finem,
studiose contendimus a beneuolò lectore, ut paginas,
ad quas studio breuitatis ex istis libris symbolicis iuxta
Lipsiensem editionem remittimus, eueuat ipse, si
quando opus videbitur, nihilque ibi aliud, quam men-
tem Scripturæ, tanquam canonis, indaget. *Te, Christe, ro-
gamus, ut Spiritu S. tuo adiuues nos, ut id illustrare ac pate-
facere possimus.* Amen. p. 104.

§. I.

Fides a *fidendo* vel *confideudo* dicitur in genere.
quatenus autem fides hic dicitur *justificare, con-
fidere* intelligitur ea in *in iudicio*. qui significatus
eo magis attollitur & acuitur, quo magis ar-
duum est hominem, eumque peccatorem, con-
fidere uelle aut posse coram ipso Deo iudice, ut adeo talis
fides vel fiducia non quouis modo, sed propriissime & spe-
cialissime, quoad vim offensam peccatorum abolendi, con-
sideranda ueniat.

§. II.

Fieri deinde nullo modo potest quin apud eos, qui u-
sum jam rationis habent, emergat ex prævia hac considera-
tione quæstio: *quomodo* hoc intelligi debeat, quod fides ju-
stificare seu reconciliare peccatorem coram ipso Deo iudi-
ce dicitur? sentimus enim in conscientia nostra, agi in ejus-
modi quæstione cum Deo, & ira ejus placanda, qua quæstio-
ne major nulla cogitari a nobis potest, qua uult nulla intel-
ligi certius & accuratius.

A 3

§. III.

§. III. Quando ad hanc questionem: *quomodo* fides justificet? certa habetur responsio, tunc porro intendi potest cogitatio animi spiritualis, *quatenus* fides justificet? modo in ista adstrictione significatus vel vocula nihil aliud queratur. quam res ipsa, & ut mysterio puræ fidei, & doctrinâ de fide serio in primis utamur ipsi ad vacuefaciendam mentem nostram ab omni alio intuitu. quod si fiat Spiritu S. in Scriptura duce, usum profecto in doctrina & praxi Christiana gignit uberrimum, omnia hic ad *ad vivum reserare*; tametsi hoc alias habetur in vitio. quid? quod summe necessarium est, beneficio doctrinæ de fide; *quatenus justificet?* remove ex animo omnem opinionem naturalem & fiduciam propriarum justificationum ullius generis.

§. IV.

Neque vero metuendum est, ne hac ratione abeat, ab indole & natura fidei ipsius in se; quæ potius ad hoc ipsum ducit, ut clare & distincte ex lumine revelationis divinæ intelligatur, *quomodo & quatenus* justificet? si quidem pugnancia sunt, certo respectu vel modo fidei justificationem tribuere, & illum respectum vel modum pugnare in naturam veræ fidei, cum nulla alia, quam vera ac viva fides, ullo modo in justificationis negotio locum obtinere queat. illa tamen vera ac viva fides, etiam extra negotium justificationis, *ἐν ἐργείᾳ* suam necessario exerit, salva semper atque illibata speciali illa consideratione.

§. V.

Compendiariam tantæ rei penitus imbibendæ viam, monstrat apologia A. C. p. 71, quam ponderari & evolvi operæ pretium est. nàmpe ut certo & per solidam animi reflexionem confet de natura atque indole veræ fidei (adversus quam & fides *cum justificat*, nihil admittere potest): inquirere attente prodest in *originem* fidei, siue in ejus fin

fin & conceptionem spirituaalem. quam enim fides naturam. habere dici potest, eam necessario habere ex sua oriendi ac nascendi, sive etiam postea innotescendi, ratione ostendi debet.

§. VI.

Ortus fidei cognoscitur paulo distinctius ex duabus quaestionibus. Prior est; in quo cordis statu vera gigni possit fides, vel in quo homine locum habeat talis fiducia, si ulla locum habet? posterior: ex quo principio vitali, semine, seu verbo vivifico sit vita fidei? priore quaestione opus est, quia nunc nulla alia fides intelligitur, quam quae in homine, tanquam in *subjecto recipiente & patiente* generari debet. posteriore autem, ne donum vel thesaurus confundatur cum vasculo, in quod thesaurus reponitur.

§. VII.

Jam si rem recte & ex quo putes, cognoveris facile, nihil fiducia procreatum iri in peccatore, nisi in poenitente, & ita quidem poenitente, ut omnem plane fiduciam sui ipsius, quae modo nominari possit, abjiciendam, & salutem suam *alibi* quaerendam esse intelligat. quod ut fiat, Deus pro misericordia & sapientia sua in homine lapsa superesse quid propter Christum voluit, ut in ipso, officium peccata arguens & terrore percutiens, per praevientem Spiritus S. gratiam, possit *sentiri*, admitti & suscipi; quando tam conspicua est humani generis miseria. per verbum igitur, statui peccatoris conveniens, hoc est, per verbum *legis*, & per varia alia, quae ad vim justam legis sentiendam faciunt, is ipse Pater misericordiae sanctissimus, lapsi hominis cor intellectum & voluntatem, aggreditur in conscientia, ut velit agnoscere, sese teneri quidem juste ad reddendam de lapsu suo rationem, & ad sustinendas poenas lapsi debitas attamen nihil esse, nihil superesse in se ipso, quo ipse ulla ratione eluctari possit; cum nec abyssum corrupti status sui, multo

multo minus modum emergendi percipiat. in his terroribus verbo legis Deus omnia, quæ sunt in homine specie vel *honestissima*, concludit *judicialiter* sub peccatum p. 76. in his terroribus *sentit* conscientia iram Dei ad versus peccatum, videt peccati turpitudinem, respicit effugia, respicit solatia propria, sed prostrata fulmine veritatis monetur ne audeat eludere judicium, ne *diu querere, partiri, aut distinguere velit, utrum sit peccatum vel non peccatum*, tale vel tantum, aut spei quicquam in se ad expiationem vel declinationem fori superesse sibi persuadeat p. 128. 166. 320. 326. seq. sic, cum desperatur de seipso, *incipit vera penitentia*, vera cordis passio, quam sustinere humana natura non posset, nisi sustentaretur cœlitus. *ibid.* p. 320.

§. VIII.

Inter ejus modi terrores ex lege (si ii, ut possunt per ordinem gratiæ, admittantur,) insinuat Spiritus S. in intimo cordis contriti, tremulum quoddam desiderium gratiæ, noviq; motus primi cum gemitu ineffabili, etsi forte obscure, intra hominem assurgere incipiunt, promicante modo eminus modo propius aliquo spei radiolo, donec *certum* verbum exaudiatur, quo tremulum illud desiderium paulatim *figi* incipiat. quem transitum (a verbo & sententia legis ad verbum & sententiam gratiæ, quo corda *rursus* concipiunt consolationem, novusq; homo resurgit p. 36. 71.) solus Deus efficere & revelare vult ac potest. describere hunc quoad omnia momenta hac in vita non licet, nec ad officium nostrum pertinet, certissimum tamen est, vel primam scintillulam fidei & minimam flammulam aliunde, nisi *ex verbo gratiæ* revelato esse non posse. F.C. p. 659. l. 6.

§. IX.

Atque hoc est *evangelion*, ex quo solo nascitur fides in penitentia. ἀρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ Rom. X. 17. ἐν τῇ καρδίᾳ σ8. scilicet. τὸ εἶναι τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως, ὁ κηρύσσομεν v. 8. ὡς ἰσχυροὶ, οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων v. 15. p. 108.

108. 167. 372. 670. ex solo evangelio proprie oritur vis conversionis errantium ad pastorem & episcopum animarum, per quem credimus in Deum, qui excitavit eum ex mortuis & ipsi dedit tantam gloriam, ita ut fides & spes nostra sit in Deum. ἀναγεγεννημένοι ἐκ ἐκ σποράς Φαρισαίων ἀλλὰ ἀφ' ἑαυτῶν, διὰ λόγον ζώντος θεοῦ. τὸτο δὲ ἐστὶ τὸ ῥῆμα τὸ εὐαγγελισθέν εἰς ὑμᾶς I. Petr. I, 21, 23, 25. II. 25. I. Cor. IV, 15. ex hoc principio vitali vivit fides, & apprehendit in pœnitentia oblatam misericordiam. ex evangelio discit fides, & assequitur *notitiam* fundamenti gratiæ. ex evangelio *assensu* p. 12 humili respondet *mandato* evangelii, quod *precipit*, ut *credamus*, Deum nobis propitium esse propter Christum p. 133. 174. 178. ex evangelio *fiducia* recumbit in evangelio. nam ideo ex evangelio nascitur, ut in evangelio vivat & recumbat, & assensum ad rem ipsam applicet.

§. X.

Sufficiunt hæc ad prægustum quendam de natura fidei, ex ejus oriendi ratione. prius tamen, quam in ea describenda pergamus, quid ex ante dictis sequatur, adnotandum.

§. XI.

Quia fides illa, de qua loquimur, *existit in pœnitentia*, hoc est, *concipitur in* terroribus conscientie, quæ sentit iram Dei adversus nostra peccata, & *querit* remissionem peccatorum, & liberari a peccato & *in* talibus terroribus & aliis afflictionibus debet hæc fides crescere & confirmari: *quare* non potest *existere* fides *in* his, qui secundum carnem vivunt. &c. p. 86. 71. 134. 138. etgo multo minus pura doctrina de fide in eo consistit, ut fidem eatenus sentiamus justificare, quatenus absolvendus vel justificandus vult esse absque labore pœnitentiæ. (quibus vacat, ii de variata A. C. adeant Hülfe-
mani manuale p. 87. & Brentium, qui Halam Suevorum A. 1548. *p. 687.* reliquit, quod in formulam interreligionis non consentiret,

B

ret,

ret, T. I. hom. in Joh. f. 243. nullam hic fingendam *separationem* quoad existentiam in *subjecto*, graviter monet B. Gerhard. T. ult. conf. Cath. p. 553. sq.)

§. XII.

p. 320

Quia vero sic incipit vera penitentia, dum homo audit sententiam promulgari, dicentem: quotquot estis, nihil estis &c. ergo nemini in eo statui in mentem venire potest, ut meritum collocet coram Deo in sua desperatione, aut confidat absolvi propter contritionem suam, nedum propter levio-rem aliquam attritionem p. 75. 143. 170. 174. sq. 322. 687. unde ad naturam penitentiae, quatenus hujus terminus ad quem est peccatorum remissio, practice indagandam remittitur in doctrina de fide, tanquam altera parte conversionis p. 170. 173. 180. nec cum ostenditur, quam cognati loci sint doctrina penitentiae & doctrina justificationis p. 27. 71. 171. 687. 709. dumque magis intelligi potest, quid sit fides, quam praedicat evangelium, cum opponitur contritioni ac mortificationi p. 171.

§. XIII.

Porro quia peccator perterrefactus verbo legis, fide divinitas accensa ex evangelio solo (unde & fides orta est) confugium habet: innotescit animo nostro discrimen legis & evangelii, circa quid utrumque proprie versetur, & quid utrumque praestet, nam justitia evangelii, quae versatur circa promissionem gratiae, gratis accipit justificationem & vivificationem p. 137. sed lex non justificat, donec nos accusare potest. non igitur justificat, quia lex semper accusat. p. 89. 66. Rom. III, 19. 20. IV, 14. lex enim requirit a nobis opera nostra & perfectionem nostram, sed promissio offert nobis oppressis peccato & morte gratis reconciliationem propter Christum p. 68. cogitetur modo, Christum non esse frustra promissum, exhibitum, natum, passum, resuscitatum. cogitetur promissionem gratiae in Christo non esse frustra praeter legem, & extra legem

legem factam statim a principio mundi Gen. III. p. 123. quid ali-
as opus est *evangelio*? *causas* fugitivo oculo absit ut contem-
plamur, ob quas a lege ad evangelium ob ipsam *naturam* le-
gis revocamus conscientias p. 138. 175. sq.

§. XIV.

Non utique fit istud eo animo, quod justificandus
parvi habere sententiam legis, aut legi, tanquam regulæ
vivendi, renunciare queat. sed ideo fide se *convertit* ad ev-
angelium, quia *jus legis* submississime agnoscit. imo cum
solicite quærit mens afflicti in conscientia: *quatenus* fides
justificet? respectu legis certa esse vult: unde hoc habeat,
fides quod salvo legis honore aliunde justificat? quid sustu-
lerit illud *jus legis*? quo debeat chirographum? unde fides
impetret *novam sententiam, quæ abolet priorem*, conque-
scente lege? p. 79. 93. 169. quomodo lex hanc appellationem
admittat, & quo pacto consentire possit in exceptionem,
fori, deductum vide sis in libello Præsidis von der Erlb-
sung p. 36-- 47.

§. XV.

Quinimò ideo *justificamur*, ut justii bene operari, & *obedi-*
re legi Dei incipiamus, quippe quos Filius Dei *eam ob causam*
redemit, ut *legem Dei* diu noctuque meditemur, atque in
ejus observatione nos assidue exerceamus. etenim ne primi
quidem nostri parentes, etiam ante lapsum, prorsus *sine le-*
ge vixerunt: quæ certe cordibus ipsorum tum inscripta erat:
quia Dominus eos ad imaginem suam creaverat p. 134. 589. 595. &
qua ex virtute vivificati fide incipiamus & pergamus nor-
mam legis sequi, *ut possimus diligere Deum*, verbum Dei, obe-
dire Deo in afflictionibus, ut possimus esse casti, diligere
proximum &c. non frustra toties inculcatur p. 68. 80. p. 83. 85.
94. 100. 101. 115. 122. sq. 504. 596.

§. XVI.

Ac proinde intelligunt piæ mentes, naturam fidei,
B 2 quan-

quanta quanta est, esse *mere evangelicam*, quia nata est ex evangelio, neque tamen turbare usum legis vel exercitia, quotidianæ pœnitentiæ, quia in tali subjecto habitat, quod non est comparatum aliter. utriusque respectu talem fidem agnoscimus ESSE NOVAM CREATURAM: quia *regeneratio fit fide in pœnitentia*, necessario conjuncta cum *perpetua mortificatione vetustatis* pag. 138. 192. 168. sq. 701. 71. uti clare docet Scriptura I. Joh. V, 1. Gal. VI, 15. coll. V, 6.

§. XVII.

ESSE REALISSIMUM QUID: ut enim terrores peccati & mortis non sunt tantum *cogitationes intellectus*, ita nec fides ad illos relata. quæ *opposita* juxta se posita magis elucefcunt p. 125. 171. hinc ad fundamenta *experientiæ* spiritualis confesores nostri pag. 17. 63. 66. 89. 179. provocant, & *veram* illam in nobis immutationem animadvertunt p. 71. 378. 701. quod *vere* vivificet & *vere* sustentet fugientem vitam in contritione p. 141. 169.

§. XVIII.

ESSE DIVINISSIMUM QUID seu divinam potentiam p. 108. sq. & rem supra naturā p. 124. ne quis somniet, Glaub/ glaub/ wie bald kan ich glauben? &c. ut illo in loco habet apologiæ textus in lingua nostra vernacula. rem etiam esse *ex divina sua origine fecundissimam*, efficacissimam in corde, feracissimam divinorum motuum, *sursum* respicientem ad Deum, crescentem in salutarî pœnitentiâ & *reali confessione* divinæ efficaciz, quæ & in honorem Dei in omni vitæ genere rite ac sponte profilit ad quævis opera charitatis veræ, & vim suam cœlestem diffundit in omne, quod est præ manibus p. 11. 36. 68. 83. 86. 108. sq. 116. sq. 126. 134. 140. 701.

§. XIX.

ESSE MUNDISSIMUM QUID, tum ratione pœnitentiæ, in qua oritur, tum evangelii, ex quo est. nam veri terrores, veri dolores animi *non patiuntur* corpus indulgere voluptatibus &

& fides non potest stare cum peccato mortali. 1. Joh. V, 1. coll. III, 9. p. 336. 188. 71. 81. fq. 86. 101. 591. 328. 698. 706. non vult etiam inquinare animum ullo sui ipsius respectu aut cointuitu. purissima est hæc mentis abstractio, qua purior, realiorque non datur. p. 689. 691. 2. Cor. XI, 2. 3. Gal. V, 4-9. p. 683. 279. Act. XV, 9.

§. XX.

ESSE DISTINCTISSIMUM & singularissimum quid. nam hæc fides, quæ justificare dicitur, proprie cum Deo agit de reconciliatione p. 72. 100. 102. fq. & in proprio suo hoc officio circa humilem apprehensionem oblata in evangelio misericordiam versatur, in oppositione ad miseriam p. 10. 19. 121. 137. 166. in hac una conspicitur reconciliatoris officium p. 82. 139. 587. 692.

§. XXI.

Plura sunt alia, quæ deduci ex præmissis possent. sed relinquimus illa meditantium arbitrio, & ad rem accedimus propius. nempe fides, quæ credit, necessario aliquid habet, quod credat, & cui innititur, sentiens, aliter cum Deo agi in judicio non posse, quam per suum ipsius verbum p. 72. fq. 88. 113. inde patet veram fidem non posse quidem, quamdiu talis est, ullam Dei notitiam contemnere, ferri tamen pronò nisi ad proprium suum & speciale objectum; quod tale esse debere animadvertit, ut sit ab ipso Deo positum & sibi destinatum in propitiatorium pro peccatis, & quod possit esse pretium rei tantæ. reliquis objectis sic utitur, ut convertat omnia in succum & sanguinem, & ad sui confirmationem grato animo acceptet. Quare ut fides proprie est fiducia, quoniam versatur circa cor erigendum in pavoribus conscientiam: ita est speciale quid, quia in quaestione speciali de reatu peccatoris, opus est unicuique in individuo, universalium promissionum speciali applicatione, in corde, ex speciali gratia & operatione Spiritus S. apprehendendo! Apol. p. 203. l. 24. de qua fide speciali mul-

ta p. 68. 168. 171. sq. 175. 203. quo pertinet, ne quis hic
 confidat in fide ecclesie p. 228. 250. 265. 269. vel in fide alio-
 rum. ipse ego jubeor agnoscere peccata: ipse ego jubeor
 confugere ad promissionem. de fide *utente* agitur: ergo &
 eatenus de fide speciali, quæ *utitur* beneficiis Christi p. 68.

§. XXII.

Quæ de *notitia*, *assensu* & *fiducia* distincte doceri in scho-
 lis solent, ex iisdem fontibus illustrari possunt. nam ideo
 ostendimus supra, *quomodo contingat fides*, ne quis putet,
 nos de otiosa aut vaga notitia historiae loqui p. 71. Wie es
 zugehet? Wie ein Herr anfahet zu glauben? Wie es zum
 Glauben kommt? reddit D. Justus Jonas (confer hanc in-
 rem monitum quoddam homileticum Lutheri T. 7. Jen. G.
 f. 3. b.) Weiß man nu ihnen von den Glauben saget/ so spotten
 und lachen sie / sprechen: ob man sie für Türcken oder Heyden
 halte/das sie den Glauben allererst lernē sollen. Luth. R. Post.
 Ep. am S. nach dem Christ. T. ubi notandum; cum tali no-
 titia historiae removeri ibidem etiam *dogmatū* otiosam noti-
 tiam p. 140, qua acquiescere hodie multi solent, eamque pro
 fide salvifica habere. hinc æque solícite quàm urgent confes-
 sores nostri, *qualis sit fides*, quæ justificat p. 11. 71. sq. sic ur-
 gent etiam, *qualis esse debeat notitia*, quæ ad hanc fidem,
 specialem se referat in usu speciali. non *qualis* est in impiis
 & diabolo pag. 18. 26. 124. 108. 168. 385. sed quæ cum se-
 ria *agnitione* peccati & naturalis nostræ *adveritas* conjun-
 cta est p. 12. 675. 711. & tendit ad veram *cognitionem* mediatio-
 nis p. 68. 79. 385. pretium rei tantæ nosse, vera est hominis
 peccatoris eruditio. quo in studio cognoscendi intuemur
causam finalem historiae de Christo p. 69. 495. quid mirum, si
 cum tali notitia fides ipsa arte cohæret, & Christi beneficia
 nosse, proprie & vere est credere in ipsum? p. 79. similiter res
 necessario se habet cum assensu, quem propriissime & am-
 plissime acceptum ac ad objectum speciale relatum, cum fi-
 de

de ipsa in usu coincidere, facile intelligitur. quia promissio misericordiae in Christo, cui *assentiri* contritus jubetur, non potest *accipi*, nisi fide; ut demonstratur p. 68. 81. 88. sq. 124. sq. Fiducia denique incumbit in *effectum* historiae p. 18. nihilque aliud in corde suo patitur, quo confidat, quam humilem intuitum objecti ad expiationem sufficientis, ab ipso Deo peccatoribus anxius in asyllum constituti. fatentur Doctores Academici *notitiam & assensum* in justificandi actu non *seponi*. addunt tamen, fidem, quod justificat. praestare unice per fiduciam (confer supra thesin 9. circa finem.) p. 6.

§. XXIII.

Assequimur & nunc, quid sit hoc loco *apprehendere*. ea enim fides *concluditur* justificare, quae in *penitentia apprehendi* *promissionem gratiae* p. 141. 173. 675. & Deus non potest *apprehendi*, nisi per suum ipsius verbum, nec Christus, *tantumquam* mediator, nisi fide p. 72. 74. sq. Remissio poenae frustra quaeritur, nisi cor prius apprehenderit remissionem culpae p. 114. haec apprehensio fit intra animum seu corde p. 406. 558. sed quia non nisi aliena justitia per apprehensionem peccatori debet reddi propria, fertur haec apprehensio quoad meritum apprehendendum *extra se*. vel: tota justitia nostra *extra nos*, hoc est, extra omnium hominum *merita*, opera, virtutes atque dignitatem quaerenda, quinimo praeter ipsam legem, & *extra legem* p. 123. 695. A deo extra se hoc sensu rapitur justificandus, ut fides *non propterea* justificare censeatur, quod *ipsa* tam bonum opus, tamque praecleara virtus sit, sed quia & quatenus in promissione evangelii meritum Christi *apprehendit & amplectitur* p. 70. 76. 684.

§. XXIV.

Magis magisque elucescit indoles fidei, quae justificat, cum ad id, quod apprehenditur, attendimus. cogitemus igitur, (1) apprehendi *promissionem* seu verbum *promissionis*. alioqui quorsum opus erat *promittere*? certe ratio sumta

ex natura promissionis apud Paulum præcipua est & sæpe repetitur. neque excogitari neque fingi hinc quicquam potest, quo hoc Pauli fundamentum everti queat. manifesta ἀπόδειξις est, cum justificemur ex promissione, quod necesse sit fidei tribuere justificationem. quid potest contra hanc ἀπόδειξιν opponi? p. 76. 113. 67. cogitemus (2) fidem apprehendere satisfactionem in promissione. *ex utroque* nempe ex promissione & donatione meritorum oritur fiducia, misericordiæ. *talis* fiducia promissionis divinæ, item meritorum Christi debet afferri ad orandum p. 226. quoties igitur de fide justificante loquimur, sciendum est, hæc objecta concurrere, promissionem & quidem gratuitam, & merita Christi, *tanquam* pretium & propitiationem. quia oportet esse aliquam certam propitiationem pro peccatis nostris p. 69. (3) existimamus ἀυτόπιστόν τι esse, quod promissio non possit accipi nisi fide p. 67. 69. sq. 74. 92. 102. 113. 123. eadem cum apologia, verbotenus ipse Ferus in Gerh. confess. T. ult. p. 545.

§. XXV.

Porro & apparet, quam serio, quam pure & mere evangelice circa suum *objectū* versetur fides. objecti vocabulum hæc in meditatione non respicimus quidem pag. 69. sq. 84. sed ne subsistat quis in Scholastica agitatione objecti, sciendum est, quæri sollicitè de objecto fidei utentis justifico, in oppositione ad objectum iræ & condemnationis, animumque vere credentis illo objecti justifici intuitu ita affici intra se, ut in re ipsa hæreat. *ita ut Christus sit objectum fidei, imo non objectum, sed ut sic dicam, in ipsa fide Christus adest*, Lutherus ait, Comm. in ep. ad Gal. c. 2. v. 20. Idem ad Brentium: Ego soleo, mi Brenti, ut hanc rem melius capiam, sic imaginari, quasi nulla sit in corde meo qualitas, que fides vel charitas vocetur: sed in loco ipsarum pono ipsum Christum. & dico: hæc est justitia mea, ipse est qualitas, & formalis (ut vocant) justitia mea, ut sic me liberem & expediam ab intuitu legis & operum: imo ab intuitu

OB-

OBJECTIVI istius Christi, qui vel doctor vel donator intelligitur. sed volo ipsum mihi esse donum & doctrinam per se, ut omnia in ipso habeam. non possum, quin adjiciam quæ de usu justitiæ Christi circa vocabulum objecti jam T. 2. Jen. Lat. admonuit. modo vites, inquit, somniores Sophistas, qui Christum nobis sic justitiam & sapientiam faciunt, ut semper vel objectum, vel causam justitiæ nostræ statuunt. USUM vero ejus, qui est per fidem in eum penitus ignorantes &c. p. 110. b. 229. b. Nam locus hic Lutheri revocat nobis in memoriam illos textus symbolicos, qui probant ex Scripturis, id hic non esse Christo uti, si recumbamus in eo, quod Christus nobis meruerit habitum dilectionis, qua postea ipsi agamus in Dei judicio, p. 62. 74. 102. 139. sq. 587. sed si confidamus solide & pure, quod propter ipsum, tanquam mediatorem, certo velit nobis Deus placatus esse p. 72. nedum id est recte uti hoc objecto, si quis frigida cogitatione *H. Hopfn.* objectum hoc speculatur, tanquam verum, aut in eo, ceu de *Tr. pr. de S. lectabili bono*, aut utili ad parcendum sibi, delectatur. & quæ *cena p. 89.* alia ad vocem objecti ipsi notant Academici G. Mylius parte 1. A. C. p. 286. Hülfemannus man. A. C. p. 870. & opp. posth. p. 556. sq. B. Carpzovius Isag. p. 76. 206-209. 222. sq. 230. *internum* animæ objectum vocat Taulerus *vom armen Leben Christi* p. 42.

§. XXVI.

Singula hæc fundamentum habent in re, quibus si probe subegeris & innutriveris animam, introspicias & consenties eo melius in vim aliarum doctrinarum & formularum loquendi, quæ docendi causa obtinent. Supra jam §. 2. 3. innuimus, ad quæstionem: quomodo fides justificet? posse & responderi proxime, quatenus justificet. magna certe cum emphasi toties legitur in apologia A. C. quomodo hoc intelligi debeat, quod fides justificat? p. 71. sq. quomodo contingat remissio peccatorum, & quomodo fiat justificatio? quia justificatio non est certi operis approbatio, sed totius personæ p. 101. sq. quomodo in remissione culpæ liberetur cor ab ira Dei, & quomodo certi reddamur de remissione peccatorum?

C

p. 175.

p. 175. 192. Similiter magnum quid est cū Apologia negat Jacobi 2 cap. *modū* justificationis describi p. 109. alibi autem *modum* describi affirmat, *quomodo in contritione* recreemur p. 170. Maxime dignū notatu est, cū dolet omitti locos Pauli classicos, in quib9 *ordine* disputat de MODO justificationis. p. 101. sq. quod ipsum postea observatum fuisse legimus. quando enim de fide agitur, *quomodo* videlicet ea justificet, hæc est ea de re Pauli doctrina, quod sola fides justificet sine operibus, *quatenus* nobis Christi meritum applicat & communicat. ita F. C. ad textum apologiæ de 2. cap. Jac. p. 693. cum quaeritur, *unde* fides hoc habeat, & quid requiratur, *ut* justificet & salvet. tum falsum erit, si quis dicat, fidem, *quatenus* charitatem, qua *formetur*, conjunctam habet, justificare. fides enim *tantum eam ob causam* justificat, & *inde* vim illam habet, quod gratiam Dei & meritum Christi in promissione evangelii, *tanquam* medium & instrumentum apprehendit & amplectitur. F. C. ibidem p. 693. sq.

§. XXVII.

Quamquam autem *quatenus* in A. C. ejusque apologia non legatur expresse, quantum nos quidem hæcenus observavimus, ac adeo lubenter agnoscamus, potuisse & posse forsan alicubi fieri, ut quis *animo non malo* hunc loquendi modum prætermiserit & prætermittat, cætera circa ipsam rem purissimus: attamen vis istius restrictionis habetur ibi uberrime, vix aliud, quam hoc ipsum vult A. C. quando p. 10. fidem descripsit, & HANC fidem *deus in se* subjungit, *imputari a Deo pro justitia coram ipso. Et ut HANC fidem consequamur*, (pergunt Augustani confessores) *institutum est ministerium. ibid.* nam emphasin hanc pronominis demonstrativi Melanchthon in apologia p. 68. 121. 166. 71. 133. sq. copiose confirmat. deinde *quod quia* eo tendit p. 87. 94. 131. 133. 166. sq. 684. siquidem & *quod quia* adhibetur alioquoties cum fin-

accomm. P.
707.

singularibus remotionibus. v. c. *fides non IDEO justificat, aut salvat; QVIA ipsa sit opus per sese dignum, sed tantum QVIA accipit misericordiam promissam* p. 70. 76. coll. 684. porro τὸ *quatenus* latet sub eo, cum fidem & promissionem *correlative* inter se connecti legitur p. 69. 129. & quoties de fide loquantur, intelligi velle *objectum* p. 70. quia justitia Christi donatur nobis *per fidem*, ideo fides est justitia in nobis *imputative* p. 125. denique cum fatetur apologia, dilectionem & opera esse justitias legis *quatenus* sunt impletio legis, & *eatenus* hanc obedientiam legis justificare justitia legis p. 93. datumb ware es wohl wahr / daß die Liebe uns gerecht macht / wenn wir das Gesetz hielten wie das Gesetz gebet; ut in versione apologiæ Germanica circa illum textum habetur. ex illo, inquam, *quatenus* & *eatenus*, (quod tamen hominem ex lege justificari volentem destituit) sequitur nihilo minus posse ex opposito dici, *quatenus* fides justificet, quia videlicet sola fide *accipimus* remissionem peccatorum & reconciliationem propter Christum ut est ibidem p. 94. ne dicamus, in A. C. p. 10. τὸ *propter* Christum & τὸ *per* fidem accurate distingvi: quam ἀντιθετῶν *verbotenus* repetitam videre licet p. 115. 296. 279. cum hac explicatione, quod tantum mediator Christus *per* fidem opponendus sit iræ & judicio Dei p. 100. 87. 75. Unde illud Græcum: διὰ τὴν πίστιν, & διὰ τὴν πίστιν. ne multum etiam dicamus de usu particulae *ita* p. 75. III. 122. 173.

§. XXIIII.

Ne quis vero suspicetur, captari a nobis otiosas subtilitates, proferemus unum vel alterum exemplum Scripturæ sacræ, quod talem ἀντιθετῶν & *abstrahendi* animi dexteritatem comprobet. Rom. IV, 4. 5. τὸ ἐργάζεσθαι respectu fidei simpliciter removeretur, quatenus quaritur de spe gloriæ πρὸς τὸν θεόν v. 2. & de imputatione ipsius fidei in justitiam v. 3. 4. sq. ne ullo modo derogetur quid efficacæ τῆ

C 2

κατὰ

κατὰ χάριν v. 4. 16. confer Rom. XI. 6. 32. ergo hæc est ipsa pura indoles fidei, quod causam suam πρὸς τὸν θεὸν non agit aliter, quam credendo, omni ullius suæ operationis respectu fideliter remoto. Lutherus τὸ ἐργάζεσθαι significanter reddidit mit Werken umbgehen. ipse Paulus reddit διώκειν δικαιοσύνην ἐξ ἔργων, ὡς ἐξ ἔργων Rom. IX, 30. sq. e contrario fides hæc versatur circa meram gratiam, gehet mit Gnade umb. Unde sequitur, fidem non posse versari circa seipsam, tanquam circa opus p. 70. 76. 684. 693. neque tamen sequitur, ex fide sic reddi rem plane nullam; quod sequi putat Bellarminus l. 1. de just. c. 17: si revera nihil faceret in ordine ad justificationem, sed tantum acciperet indulgentiam. nam reale quid est & manet illa acceptio indulgentiæ, avida apprehensio gratiæ, 1 Theff. I, 3. 2 Theff. I, 11. conjuncta cum reali abnegatione τῶ ἐργάζεσθαι. vera est illa contriti cordis affectio, genita illa ex evangelio facultas, propomens Deo Christum sibi datum & propter eum constituens per notitiam & assensum, quod Deus gratis ignoscat p. 70. l. 28. p. 98. l. 12. p. 257. l. 12. confer §. 17. imo vero hoc defendimus, quod proprie ac vere ipsa fide propter Christum justitiam reputemur p. 73. 76. sq. ac vel ideo fides in hoc foro nulla ratione versatur circa τὸ ἐργάζεσθαι, ut fides maneat quod est, nec inanis reddatur Rom. IV, 14. quo solo respectu abstracte, fides virtus insignitur per mimesin p. 103. 140.

§. XXIX.

2. Cor. XI, 3. laudatur ἡ ἀπλότης ἡ εἰς τὸν χειρὸν, simulque monetur, ne patiamur ab ea simplicitate averti & sic corrumpi τὰ νοήματα ἡμῶν. qua dictione non potest commendari omne id, quod facit, ut ἀπλῶς intueamur εἰς χειρὸν, quin & ἀγνώως v. 2. atque simplicitatis Christianæ summum caput est, avertere oculos a seipso; quod æquissimum est, quia non possumus nos ipsi justificare, ipsi nos absolvere p. 67, & fixis oculis unice intueri in Christi faciem.

de

de quo simplice conspectu pag. 93. 103. III. 113. 127. 129. 176.
 Das wäre nun die Kunst / daß man lernet weit scheiden und
 von einander werffen unsere Weißheit / Vernunft / Werck
 und Vermögen / und diesen Artikel von Christi Wercken und
 Ambt / daß sie (jene) nicht in meinen Glauben und Zuversicht
 des Herzens kommen: ich will kurz nichts wissen von meinen/
 noch einiges Menschen Wercken / wenn es gläubens gilt: da
 kömmt ein ander Gesicht / und thut andere Augen auf / daß
 man gewahr wird / wie es alles verlohren ist / mit alle unserm
 Thun / und alleinden Mann müssen haben / darauf wir trauen
 für Gott zubestehen: in diesem Kreis / da wir Christen hin ge-
 hören / und in der Schulen da wir Christum lernen / wollen
 wir gar nichts disputiren von uns / was wir gethan und nicht
 gethan / oder noch thun und lassen sollen / sondern worauf un-
 ser Glaube stehen soll / un̄ gar außser uns allein in diesen Ar-
 tikel treten / und lernen / was der Mann für uns gethan habe/
Luth. in Cat. maj. explic. 2. art. Paul. medull. p. 102. Luth. T. 6.
 Jen. G. f. 201. a T. 1. Jen. L. f. 127. b.

§. XXX.

Beati Matth. V, 3. *pradicantur pauperes spiritu. ad
 quam ipsam paupertatem spiritualem profundius intelli-
 gendam, per τὸ quatenus quaestio eo dirigitur: unde fides
 vim illam habeat? quatenus sit in pretio? p. 693. 69. qualis fi-
 ducia afferri ad orandum possit? p. 226. sq. hæc certe fides
 non affert ad Deum fiduciam propriorum meritorum; ut
 mundus operibus suis magnum pretium constituit p. 99. 98.
 quia & indigere misericordia intelligit ipsum actum suum
 apprehendendi, qua talem, tot infirmitatibus obnoxium. p.
 58. 68. 107. 129. adeo ut fideles, postquam fide in Christum
 iustificati jam sunt, diligant quidem Christum; quatenus
 vero peccata sibi adhuc adharere, eorumque se venia
 indigere existimant, nullo alio fiduciae genere cum Deo
 agant, & semper eodem, quo prius, animo ad promissionem
 recurrant, pacē ex justificatione sola semper fide renouent*

p. 90. 100. 134. Non sentiendum est, quod fides initio tantum iustitiam & salutem apprehendat, *postea vero officium suum operibus resignet*, ut ea deinceps salutem conservare debeant. p. 706. quia Christus ipse non desinit esse mediator, quo perpetuo sustentemur p. 90. 127. & siquid bene fit, Deo placere censemus, non *quia* legi satis facimus, sed *quia* sumus in Christo p. 85. sq. 596. 723.

§. XXXI.

Commendatur etiam per geminum illud $\pi\alpha\rho\delta$, quod Gal. I, 8. 9. legitur, Christiana cautio, ne in tam arduo negotio *transferamur sensim in aliud evangelium* v. 6, aut *preter illud assui quid patiamur*, multo minus contra illud, quo Christi forma genuina immutatur, aut gratiæ in Christo puritas enervatur Gal. II, 21. IV, 19. V, 4. p. 65. 77. 127. 279. 296. 347. ideo & nos *preter illum respectum*, quo fides iustificat propter solum Christum evangelice consideratum, nullum alium admittimus aut commisceri quomodocunque sinimus, *quia sine hac ἀρετῆς non potest officium Christi conspici & reliqua doctrina justificationis est tantum doctrina legis* p. 139. *a statu cause in alienum negotium, quod ad hanc questionem prorsus non pertinet, abstrahi nos & implicari nolumus.* p. 689. 587. et si lex & evangelium mutua sibi invicem præstant officia: confundi tamen non possunt, nisi simul totum corpus doctrinæ & praxeos dilaniare velimus 2. Tim. II, 15, p. 95. ipsa de Christo concio ad legem & Moysen pertinet, *quoad passio & mors Jesu Christi Filii Dei, iram Dei atque odium adversus peccata ostendunt: & sunt nobis alienum opus Christi; per quod accedit ad proprium suum officium.* p. 594. 712. ergo non iustificatur peccator, quatenus Deo offert *legalem* usum historiae de passione Dominica: non, quatenus apprehendit *exemplum* obedientiæ Christi; non, quatenus apprehendit Christum, *ut eum*, qui nobis meruerit, ut *& nos* vere mereri queamus: non, quatenus opera sua proponit *una cum* virtute passionis Christi,

fi, ex qua efficaciam illa habeant: non, quatenus ex obedientia legis *presupponitur* proprie ad effectum hoc vel illud; & quicquid speciose effingi sub nomine Christi potest, quod *præter* respectum Christi pure evangelicum, in societatem fiduciæ venire confidat. sed quatenus in pœnitentia apprehendit fide Christum *tanquam* mediatorem, ex evangelio, eum in finem, ad quem justificando datus est & propositus. p. 74. 84. 121. Evangelium enim de Christo in aliam plane formam transmutabitur, & Christi officium sacerdotale, obruetur, si ex Christo legis latorem hîc aut meliorem veluti Moysen simul facere quis velit p. 62. 139. sq. 142. 280. 587. 593. 696. 711. sq. Chemn. P. 1. Ex. c. T. f. 137.

§. XXXII.

Molestum utique est carni nostræ, & sapientibus hujus seculi, ita acui puritatem respectûs evangelici (non, *τεχνολογικῶς* tantum, quod Satanus parum curat, imo ad fraudes suas abuti potest, sed) cum serâ applicatione ad interiores motus animi. *Et vere arduissimum est, imo ipse infernus, sentire, omnia apud Deum esse bona nostra, & in nobis nihil esse situm, quo eum demereamur, placemus aut mitigemus. ruitque hic funditus impia illa theologia eorum, qui faciendo, quod in se est, presumunt misericordiam Dei emercari-annon est hoc, Deum velle mihi conformare, si huc nitâr, ut meæ opinioni, meo affectui, meo sensui & desiderio sese attemperet, cum contra oporteat in nihilum nos ire, & eum facere in nobis compotem sui sensus, sui voti & desiderii, hoc est, mori, damnari, & in nihilum redigi.* Lutherus T. 2. *Jen. L.f. Luth. T. 6. 164.* attamen ex magnis illis motibus, qui intus in corde, *Jen. G.f. 42.* nostro excitantur per *τὸ* quatenus, alia per se non oritur *de- b. 43. 4188.* speratio, nisi propriarum virium & ratiocinationum coram *a 201. ex eo-* divino judicio, nec non partitionum humani ingenii, & que D. Breit formarum mentis in hoc negotio. efflorescit hinc nova *haupt Inst.* consolatio & vita spiritualis p. 71. non potest non bene esse *cr. p. 288.* conscientis nostris, quando sic coguntur unum illud tene- *Inst. ag. p. re, 124. sq.*

re meritum, unum illud bonum justificum. confringit, proprie illa restrictio viscera nostra omnia cum Christo agno Dei, qui tollit peccata mundi. O beata mentis nostræ vincula! Nostro bono retrahimur ab omni respectu priorum conatum, qui sane non servant nos p. 130. ab omni proprio iudicio; *quod nullum foret.* quia reus non potest esse iudex in propria causa p. 131. ab omni respectu præsentium bonarum animi dispositionum, propositi novæ obedientiæ meritorii vel satisfactorii, p. 61. 81. 137. 584. Contingere potest, ut *sensus fidei* quandoque obtundatur, & plane, quantum videtur, amittatur. quo in casu ad fontes doctrinæ tentati remittendi sunt, illique edocendi, quod fides non justificet, quatenus absque *intervallo* hoc vel illo certo modo *sentitur*, vel *suavi* actu reflexo & cum delectatione percipitur, sed quatenus serio apprehendit salutare Dei. at vero apprehendere salutare Dei, ac pro uno animæ *thesauro habere Christum*, ii censentur ex merito, quibus dolor summus est pacem Christi sui non sentire. testantur ergo ipsissima hæc *fidei exercitia, luctantis cum desperatione*, naturam fidei, uti illa primum orta est inter angores, nondum evanuisse. p. 262. 659. 672. 816. sq. & admonent, ne in bonum justificum feramur nostra ex parte, tanquam in bonum nobis delectabile, sed tanquam nobis unice necessarium. Eo insuper, conducit, ut magis magisque opinionem operis *nostri* in ipsa fide vere deponamus, & defecatiore animo *magnam* fidem adulatorum in Christo concipere desideremus. p. 36. 86. 134. 282. 285. 675.

§. XXXIII.

*Applicatio
ad harmoniam.*

Quicquid vero de fide, *quatenus* justificat, deduci unquam potest, id omne continetur in natura fidei, *quæ* justificat. tamen conceptus alter strictior, alter latior in usu est concedimus, necessariam esse justificandis fidem *talem* qualem oportet esse. tunc autem fides est talis *qualem* oportet esse, cum serio

ferio, & absque dolosa reservatione mentali tendit ad causam justificationem, nec *præter* illam quærit alia salutis media. quando ergo mens sibi talis apprehensionis est ex verbo Dei conscientia; tunc homo in corde suo firmiter nosse potest, se fidem habere, *ut oportet*, vel quæ requiritur in evangelio ad justificationem *presentem*. ita recte monet circa A. C. ejusque apologian H. Höpfnerus *de just.* p. 360. 363. 481. Laudavimus §. V. locum quendam apologiæ, velut compendium totius hujus demonstrationis nostræ symbolicæ. eo quidem loco utrumque habetur, & *quomodo* contingat fides, seu de *modo* regenerationis, & pronomen demonstrativum *hec*. *Hæc* fides in illis pavoribus erigens & consolans accipit remissionem peccatorum, justificat & vivificat p. 71. nec dubitamus, quin & demonstrative & restrictively intelligi oporteat illud A. C. *hanc* fidem imputat Deus pro justitia coram ipso p. 10. confer, quæso, p. 68. 121. sq. 166. *hec* fides parit certam spem, quia nititur verbo & mandato Dei, eoque solo respectu evangelico vocatur *obedientia* erga evangelium. *hec* fides facit *discrimen* inter hos, quibus contingit salus, & illos, quibus non contingit. quo de *discrimine* sollicita esse videtur ratio, cum est optima. p. 133. 125. sq. 72.

§. XXXIV.

Hæc plana & perspicua sunt, & a piis intelligi possunt *usus hæ-* p. 71. 65. 142. hi neque impugnabunt acumen salutare hujus *monie ad* doctrinæ, si forte unum vel alterum scholæ vocabulum non *modestiam* statim capiant, neque suspicabuntur, turbari ab iis, qui *do-in formulis.* Etinam urgent de natura vivæ fidei, puritatem fidei, quatenus justificare intelligitur. in ipso actu justificationis fides non operatur vel agit cum Deo per charitatem, quia *tunc* vel maxime spirituali vita sua uti debet ad apprehendendum ejus meritum ex proprio suo atque primario officio, adeoque tunc, cum in nobilissimo vitæ suæ usu versatur, vim illam vividam non potest non ostendere. ipse quidem populus noster canit de forma specifica fidei; des Glaubens

D

rech:

rechte Gestalte/ quo in hymno aliisque distinguuntur distinguenda, & conjunguntur conjungenda. noverint boni Pastores omnem navare operam, ne optima causa pessimo abusu depravetur. *Quid enim aliud nostra doctrina esse potest in oculis impiorum, quam mera contradictoria, cum exigit & damnet opera?* ita Lutherus ipse de antilogiis a Fabro collectis (apud Cælestinum T. 2. f. 133.) & T. 7. Alt. f. 271. sq. Re vera autem hypocrita sibi contradicunt. videri vult vulgus hominum *strictæ* & orthodoxe sentire de fide, quatenus iustificet, & *latam* tamen illam viam secure decurrit cum *laxioribus*; idque sub larva fidei. multi per suum quatenus, per suas restrictiones, captiose constringunt doctrinam de fide, quæ per charitatem efficacis est; & sic naturæ suæ blandiuntur, quam impugnare debebant per illud quatenus.

§. XXXV.

*Partis altera
demonstrationis.*

Nobis quidem nunc cogitandum tandem de brevialiqua collatione concilii Tridentini, quam promissimus, eaque, quatenus ad præsentem tractationem facere videbitur. agnoscit ipse Pallavicinus l. 8. hist. C. T. cap. 11. §. 3. justificationis dogma tesseram quodammodo extitisse, quæ catholici ab hæreticis discernentur, & radicem, unde, veluti quidam rami, reliqua seu vera seu falsa dogmata pullularint; ac eapropter incredibili studio *quamvis voculam a* patribus C. T. fuisse discussam. ipsi Tridentini doctrinam suam de justificatione vocant *catholicam, quam nisi quisque fideliter firmiterque, receperit, justificari, secundum eos non poterit.* quæ adstrictio conscientiarum, cui se submittere tenentur omnes, qui ad hodiernam R. E. transeunt, sane multum habet in recessu.

§. XXXVI.

Deinde & ex Pallavicini constat historia, multum in C. T. de statuendis justis circa fidem justificantem *restrictionibus*, laboratum fuisse. erant theologii, qui affirmarent, ho-

hominem reddi justum per fidem, *quatenus ipse fidentissime credit, a se per J. C. merita peccatorum veniam obtineri.* l. 3. c. 4. §. 3. Bertanus quidam distinguebat, dici hominem justificari *per fidem, non a fide* §. 12. Senensis archiepiscopus Franc. Bandinus *cuncta Christo, nihil nobis*, totam justitiæ acceptionem fidei, reliquis præparationibus nihil adscripsit. quem cum Cavenfi præfule, aliisque securi sunt Julius Contarenus Bellunensis §. 7. 11. 15. tamen postea Contarenus, ut placaret reliquorum animos suis dictis offensos, explicasse suas de fide laudes traditur non de fide mortua, & informi, sed de viva, & quam *charitas informaret* cap. 9. §. 5. Seripandus disputavit, justificationem fidei tribuendam esse non modo *tanquam illius principio, sed tanquam causa certissimæ, quæ Redemptoris merita applicet* quin & in secunda, quam vocant, justificatione, justitiam non debere operibus solis tribui, sed simul fidei, *quatenus opera quantumvis necessaria, haud satis forent, nisi per fidem applicaretur Christi justitia, qua, quod nobis desit, expleatur.* cap. 9. §. 5. cap. 11. §. 4. 5.

§. XXXVII.

Contra dixit Bernhardus Diaz Caliguritanus, *ideo dici hominem per fidem justificari, quod hæc ex humilitate natura nos arrollit, motusque quosdam supra conditionem naturæ nobis imprimit, efficitque, ut a Deo respiciamur, ceu iter justitiæ jam ingressi* c. 4. §. 16. Censebant alii, si sermo sit de causa efficiate, hominem effici justum per fidem, *prout conjunctam cum penitentia & baptisate; sin de causa formali, prout ipsa fides a charitate sanctitatisque gratia informatur* c. 4. §. 3. c. 9. §. 5. ita se vertebant quaquaversum hominum ingenia, an scholas suas cum Scripturis conciliare possent! adeo potest hic articulus valde exercere humanū animū! p. 133. 113. 103. neque vero negaverimus, contactos ex his aliquos fuisse puriore lumine. nam cum Scripturæ testimonia adeo sint aperta, ut non desiderent *acutum* intellectorem,

D 2

sed

sed *arcentum* auditorem, hinc mansit apud aliquos pios semper cognitio Christi. p. 65. 71. 142. 174. quos & a reliquis humana consilia secutis, ægre in C. T. auditos fuisse Pallavicinus testis est; his per *plura* suffragia obtinentibus & undique obicem paci ecclesiasticæ ponentibus.

§. XXXVIII.

Ergo audiamus nunc ipsam vocem concilii, quam subinde Bellarminus alique *vocem* nuncupant *ecclesie*. quod ut ordine fiat, videbimus (1) *ἀντίθεσιν*, seu qua ratione nostra repudiaverint. (2) *θέσιν*, seu quas *determinationes* ipsi substituerint. utrumque videre licet sessione sexta tum in capitulis, tum in canonibus.

§. XXXIX.

ΑΝΤΙΘΕΣΙΝ quod attinet, primo miramur, quid Tridentinos permoverit ad sancendum canonem 12: *si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, quâ justificamur, anathema sit.* nam (α) etsi tacite consentitur, fidem esse fiduciam divinæ misericordiæ, ægre tamen ferunt dici, quod fides justificans *nihil aliud* sit, quam fiducia sic descripta. canone etiam 9 sic definiverant: *si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cõperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit.* quisque videt, frustra bis non impugnari *τὸ nihil aliud*; esse contra ipsos *aliquid aliud*, quod utinam clare designassent! utinam constaret plene, cur anathemate percusserint verba tam innocua, tam seria! (β) si qui forte, certo respectu dixerant, fidem justificantem *nihil aliud* esse, quam ut allata verba habent: constabat ipsis, per *τὸ nihil aliud* non excludi *assensum*, non *notitiam*, poterant utiq; ex publicis nostris scriptis ve-

ram mentem nostram intelligere. multo minus *quod nihil aliud* levitatis signum videri cuiquam potest; quasi *alia omnia*, quæ ad ordinem penitentia pertinet, impune negligi possint, modo quis dicat ore: *credo*, nihil removet aliud, nisi omnia *αὐθόρεια* p. 689. *naturaliter* nempe confidunt homines *propria* iustitia p. 63. 98. 103. 113. confidunt suaviter in honestate *civiliter* intellecta, p. 142. l. 23. in *laxiore* explicatione, decalogi, p. 61. l. 5. in nudo favore veritatis, in sola gloria orthodoxia literalis, seu *notitia dogmatum*, p. 140. l. 7. 15. 25. in certis cultibus, feriis, laboribus & receptis ritibus p. 16. 84. 113. *faciendo*, quod est in se p. 61. l. 20. quoad *substantiam actuum* p. 15. 52. 218. at evangelium *cogit peccatorem* per illud *nihil aliud*, Christo solo uti in justificatione p. 30. 21. eo animo de fide correlative spectata, sic docuimus, quod *nihil aliud*, nullum aliud nomen, datum nobis in salutem confitemur, præter nomen JESU Act. IV, 12. p. 72. 78. sq. 82. 305. 694. sub *unum* hoc nomen sua omnia redigere, scandalum *crucis* est, quod non exiguam *natura crucem* figit p. 65. 92. sq. 103. sq. Luthero enim autore hæc est theologia *crucis* T. 2. Jen. Lat. f. 106. nam ex eo ipso fonte cognoscitur, iustitiam Christianam, *aliud quiddam* esse, quam honestatem *civilem*, seu philosophicam iustitiam p. 28. 62. 121. 142. nisi que sub obsequium, tale fidei, sensus captivati fuerint; longe aliter utuntur operibus homines, qui absque hac cruce non possunt statueri in corde, sibi *gratis* ignosci propter Christum p. 97. sq. Die Vernunft sehet allezeit die guten Werke an eine unrechten Ort. den Irrthum sieht nun das Evangelium an und rufet uns herumb (γ) si quibus exiguum quid videtur, fidem, nihil aliud esse, quam fiduciam *misericordie*; illis in memoria revocamus, nostros non *ita nuda* locutos de salute per quamcumque *misericordiam*, sed de solida fiducia *divina* misericordie; peccata remittentis propter Christum, imputatione *divina*. nam in iudiciis *humanis* jus seu debitum *certum* est; misericordia *humani* iudicis *incerta*. sed alia res est de iudicio *Dei*. hic enim misericordia habet *certam* & claram promissionem & manda-

Luth. T. 1.
Jen. L. f. 288.
h.

mandatum Dei. quoties igitur de misericordia dicitur, addenda cum emphasi est in meditatione nostra, fides *certa* promissionis p. 133. 226. 69. sq. 128. sq. 140. imo nequis leviter cogitet de vocabulo *miseriordia*, subinde ex opposito moneamus, quid sit *ira* Dei, quid iudicium Dei p. 63. 66. 74. 192. wie
 " rein wir alles Verdiensts aller Werke vergessen/wenn das
 Herr Gottes Zorn sühlet. neque opus fuisset canone II: si-
 quis dixerit *gratiam*, qua justificamur, esse tantum *favorem*
 Dei. &c. nam gratia qua justificamur, nunquam diximus,
 tantum *favorem* eo sensu mere civili esse, quo in humanis iu-
 diciis *favor iudicis* obtinere aliquando solet. (d) merito autem
 navamus operam, ne respectus nostrae *coöperationis*, quaestio-
 ni de justificatione *ulla ex parte* immisceatur; quasi *partim*
 sit Christus propitiator, *partim* opera nostra sint propitiatio.
 p. 109. 163. 587. 668. 681. 694. (de *assensu*, vel *consensu*, qui in fide *re-*
quiritur, supra §. IX, XXII.) ipsa fides vere coneriti, in iu-
 dicio divino non petit considerari, *ut opus* vel *ut coöperans*,
 sed prout Christum amplectitur tanquam *unicam* propitia-
 tionem; quod probatum est hactenus. *voluntas* (hujus enim
 vocabuli favorem venantur Tridentini can. 9) *voluntas*, in-
 quam, hominis novi in justificatione, seu in petenda absolu-
 tione, non fertur ad coöperandum efficiendae absolutioni,
 sed fertur *ad habendum, ad accipiendum.* est *velle* & accipere
 oblatam promissionem p. 69. textus germanicus per oppor-
 tune hic habet: Der Glaub ist / daß sich mein ganz Herr
 desselben Schazes annimbt / und ist nicht mein Thun / nicht
 mein schenden / noch geben / nicht mein Werk oder bereiten/
 sondern daß ein Herr sich des tröstet / und ganz darauff ver-
 läßet / daß Gott uns schenckt / uns giebt / und wir ihme nicht.
 est autem & hoc non nihil *obediencie* erga Deum, *velle* acci-
 pere oblatam promissionem p. 103. 124. sq. sic suo loco non
 minus apud nos docetur, quod, *quamprimum* Spiritus S. o-
 pus suum regenerationis & renovationis in nobis inchoa-
 vit, tunc revera hominis nova illa *voluntas* instrumentum
 est & organon Spiritus S. ut ea non modo gratiam apprehen-
 dat,

dat, verum etiam, certa subordinatione, in operibus sequentibus, Spiritui S. coöperetur p. 582. seq. 674. 680. 682.; salvà semper indole fidei, quæ vult A DEO justificari, sanctificari & gubernari p. 117. 76. 18. ipsi Tridentini in causa sunt, quod nos vestigia hinc terrent. nam cum profiterentur nonnulli in concilio, quod liberum arbitrium (quod dogma de coöperatione ipsi referunt cap. 5. 7. & can. 4.) fungatur munere causæ solum recipientis, non item *agentis* in opere justificationis; fatetur Pallavicinus, hanc etiam sententiam pro minus catholica habitam fuisse l. 8. cap. 4. §. 2. *preparationes* ad justificationem non negamus quidem, sed dicimus esse istas non a nobis, sed in nobis A DEO, qui novit variis modis aggredi *voluntatem* & conscientiam hominis, ut is nihil velit aliud, quam gratiam & misericordiam. confer G. Carletani consensam E. C. c. Trid. p. 321.

§. XL.

Deinde ad textus Tridentinos de sola fide justificante, observamus longe minus quiddam esse, quod canone 9 agnoscunt tacite: posse videlicet recte intelligi phrasin de sola fide justificante; quam quod inde in rem suam convertit Jacques le Fevre *nouv. conference p. 69.* satis quidem declaratum a nobis & necessariis cautelis sufficienter munitum reperitur, quomodo intelligi velimus, docentes: quod sola fide justificari potest impius poenitens. p. 11. 73. 77. 584. seqq. 684. 691. seqq. sed revera parum apud illos profecimus. noverant Tridentini, ideo nos eam tueri sententiam, quatenus fluit ex nexu cum doctrina de sola Dei misericordia propter solius Christi meritum nobis peccata remittente, ut perinde fit, ac cum dicitur: in sola Dei misericordia propter unicum meritum J. C. *confidendum.* adeo arte hæc cohærent! sola imputatio justitiæ Christi est nostra justificatio; & sola fides est organon apprehendens Christi justitiam. *quia in hac una conspicitur Christi officium, hac una accipimus Christi beneficia, & quia ipsa res non est comparata aliter, quam, ut ad hujusmodi*

*Estimatio
soli Christi
sibi ut rei
necessariæ
& c. Luth.
T. 1. Jen. L.
f. 117. b. su-
pra p. 14. 21.*

modi applicationis officium ac proprietatem, aliud quid apte non quadret, ac fides p. 16. 72. 74. 82. 141. Canonis hinc loco nobis illud est: misericordiam non posse apprehendi, nisi fide p. 92. Die Barmherzigkeit läset sich nicht fassen / denn allein durch den Glauben conf. p. 67. verum enim vero quid Tridentini? istis non sufficiebat can. 9. 12. gravare præjudiciis doctrinam de fide, quæ sola justificet, sed & can. 11. anathema dicunt, si quis dixerit, homines justificari *vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione.* quamvis addant: *exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat.* siquidem probe sciebant, nos non *excludere* nisi fiduciam meriti operum p. 73. 132. (691.) Nosse etiam poterant ac debebant, nos studio *aug. Pelag.*, non animo laxandi carnem, docuisse ex Scripturis de sola imputatione justitiæ Christi, vel de sola peccatorum remissione; quam adeo doctrinam non conveniebat suspectam vel ambiguum reddere p. 10. 18. 68. 77. 90. 125. 226. sq. 336. (587. 685.) *si ipsa ratio aliquid rationis haberet, sic potius inferret: si isti damnant ex suo evangelio omnem justitiã humanam, multo magis damnant injustitiã humanam.* Bugenhagenius in 1. Cor. 1. p. 57. Auch unsere Gerechtigkeit mag nicht bestehen / schweig denn die Ungerechtigkeit für Gottes Augen und Gericht. Luth. K. Post. am Steph. ex hac agendi ratione contrariã constat, eos, qui tum volebant esse ecclesia, agitados fuisse indigna contradicendi cupidine. Huc pertinet, quod canone 10. concludunt: si quis „dixerit, homines 1) sine Christi justitiã, per quam nobis meruit, justificari, aut 2) per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit. Priore hoc commate mulcent lectorem, ut posterius, quod sane durum est, ferat patientius; idque prohdolor! sub involucre unius vocis scholasticæ *formaliter*, de qua supra §. XXV. mens nostra nulla fuit, nulla est alia, quam ostendere, quod in doctrina de fide *utente*, virtus omnis vere redeat ad Christum & Christi officium, cui ne ulla

ne ulla quidem specie, ne verbulo quidem, a Christianis Theologis erat derogandum p. 82. 101. 139. 141. 143. 175. sq. 279. neque unquam in mentem nobis venit credere, quod homines per Christi justitiam formaliter justii sint, *absque applicatione*, sed per Christi justitiam in pœnitentia fide apprehensam. iterum provocamus ad ipsius rei *naturam*: Christum non apprehendi posse, *tanquam* mediatorem, nisi fide p. 74. (de imputatione *alienæ* justitiæ, in oppositione ad fiduciam *proprie* justitiæ, noverant illi satis superque mentem nostram ex p. 125. 226. 228. ipsique absolutionem agnoscunt *alieni* beneficii esse dispensationem sess. 14. c. 6.)

S. XLI.

Tertio confessionem nostram de certitudine fidei justii-*que dubitanti* ordinatâ, proponunt odio sc. 9. *contra inanem hereticorum fiduciam*; conqueruntur *ibidem* de vana & ab omni *cum fide*, & pietate remota fiducia, quæ hac tempestate & magna *quatenus* contra

E. C. contentione prædicetur: negant, *oportere* eos, qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos, atque *hac sola fide* absolutionem perfici &c. monent, ne quis sibi blandiatur, *in sola fide, etiam si* Christo non compatiatur. cap. 11. can. 13. 14. Respondebimus pro ratione instituti, conceditur c. 9. *neminem pium* de Dei misericordia, de Christi merito, de Sacramentorum virtute & efficacia dubitare *debere*. ergo & hoc asserendum est, *oportere* seu *debere* eos, qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione *pertinace*, in corde suo juxta verbum DEI explorato, statuere se esse justificatos. quis enim unquam ausus est dicere, *ad id quod* esse dubitare de gratia Dei, etiam si perfectus consensus non accederet? p. 75. *quilibet* ergo, *dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit*, de se, tanquam de semetipso, formidet atque timeat C. T. cap. 9. can. 12. Eo ipso, quia fides tantum eatenus justificat, quatenus apprehendit Christum;

E

non

non modo subdubitat de inhærentis propriæ suæ justitiæ efficacia coram DEO, sed plane abjicit illam opinionem, ceu præsumtionem & inanem revera fiduciam, p. 63. 67. ipsi tamen desiderio apprehendendi Christum, *ideo* quod in apprehendendo versatur, non bene convenit cum pertinace de gratia oblata dubitatione, neque sordes dubitationum adhærescentium *jactat*, quasi *virtutes*, aut *humilitatem*, sed agnoscit in *vera* humilitate, ipsam fidem, *quatenus opus* seu virtus in homine est, non esse perfectam: nihilo secius infirmam illam fidem propter *objectum* justificum, quod eo pressius apprehendit; firmam habere promissionem p. 63. sq. 75. sq. 133. hæc fides, quamdiu talis est, per omnem vitam *luctatur* eum peccato omni, adeoque & cum dubitatione, nec *ob ullam hesitationem* (ipso Testato ad *Matth. XV. v. 28.* & Cassandro ad *A. C. art. 4.* sic loquente) *proprie infirmitatis & indispositionis*, a certo suo objecto justifico divelli sese patitur p. 167. 82. 113. 124. 128. 325. 585. sed *avide in presentia* accipit remissionem peccatorum, exhibitam in promissione p. 126.

§. XLII.

Qua occasione intelligi simul potest, quam honeste in *quatenus si* C. T. *sess. 14. cap. 3. & can. 4.* confessio nostra de fide, tanquam *de opus sit* altera parte *penitentia*, condemnata fuerit; etiamsi momentum causæ Melanchthon in apologia tot ante annis demonstrasset. ibi enim p. 162. 175. 192. usus doctrinæ ostenditur, ad pie superandas varias *dubitationum* tenebras, & ex eo, quod fides hæc per omnem vitam *luctari* cum peccato dicitur, *fluit*; sic clare definiri posse *filialem timorem*, qui scilicet cum *fide* conjunctus sit p. 167. Chemnitius quoque eo loco *repete rō* *statum controversæ* ad fontes ita revocat: quid illud sit, quo *QUIO MO-* conscientia niti in penitentia debeat, *ut non dubitet*, se rursus a DEO in gratiam recipi? & respondet: ardua igitur *quæ-* *apol. p. 170. l. 1. 2. 16.* stio est, quomodo penitentia ita agi possit, ut *certi* simus, nos consequi reconciliationem peccatorum?

§. XLIII.

Abfit vero, ut sola fide hic blandiri nobis velimus; *etiamsi* Christo non compatiatur. *hec fides, de qua loquimur, existit in penitentia, & inter bona opera, inter tentationes & pericula confirmari & crescere debet, ut subinde CERTIUS apud nos statuamus, quod DEUS propter Christum respiciat nos, ignoscat nobis, exaudiat nos. hac non discuntur sine magnis & multis certaminibus.* hæc & plura alia Melanchthon in apologia A. C. p. 116. sq. (708.) 134. quod si per *quod certo credere* Tridentinis h. l. idem est, ac propria opinio, quam quis, ut vulgo hodie loquuntur, sibi imprimat, sive nudus assensus aut factitia persuasio, tunc abesse tantum a factitia hac certitudine nos testamur, quantum ab illa contritione, quam accersitam ex propriis viribus activismque appellat Lutherus in artic. Smalc. p. 329. 322. hinc poterat quidem Bellarminus superfedere illa exclamatione, qua in *pr. f. Controv.* utitur: *quis non obstupescat, potuisse homines reperiri, qui sibi persuaderent, nihil aliud ad justificationem impiorum requiri, quam ut CERTO STATUANT, se esse iustos, sibi esse remissa peccata; ut jam non opinio a veritate rei, sed e contrario rei veritas ab opinione dependeat? & tamen hoc ipsum incredibile paradoxon est articulus quartus illius celeberrime A. C. que pro evangelio est maxime parti nostri temporis hereticorum.* interim ad id conducit hæc criminatio, ut eo magis illam repellere meliore usu doctrinæ fidei studeamus. multo vero rectius Caslander hic versatur circa 4. istum articulum A. C.

§. XLIV.

Aliud plane est, sola fide sibi blandiri velle; *etiamsi* usus *varius* Christo non compatiatur: *etiamsi* quis sciens volensque, *etiamsi* peccet &c. Aliud: jussu Dei in penitentia accipere a videque excipere ex verbo certam remissionem peccatorum; *etiamsi* re ipsa legi nos non satis fecerimus; *etiamsi* nos adhuc procul absumus a perfectione legis; *etiamsi* hæret peccatum in carne nostra; *etiamsi* legi nos non possumus satisfacere; *etiamsi* nostra opera sunt indigna, *etiamsi* quas traditiones humanas

non habeamus, quæ alibi receptæ sunt p. 93. 115. 122. 131. 152. 563. *Illud* detestamur, tanquam damnabilem illusionem p. 328. 692. 591. 691. *Hoc* sancta cum admiratione exprimit efficaciam fidei, *quatenus* justificat, scrutaturque non sine certamine, quæ fiat hæc juris translatio? unde valeat? unde *certa* sit reconciliatio? ex cuius rei conditione pendeat? p. 93. 137. 67. 75. 81. 89. 110. talium *to etiam* si, exprimit mirificam erectionem cordis contriti, quando corda contrita *rursus* concipiunt consolationem & novam vitam p. 71. 36. 378. quod miraculum fidei, nihilque aliud, articulo 12. A. C. denominatur in verbis: und doch darneben glauben.

§. XLV.

An vera fides stare possit cum peccato mortali?

Quartam *avtbo* constituit canon 28. *si quis dixerit, remissa per peccatum gratia simul & fidem semper amitti, aut fidem, que remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* caput 15. inscribitur: *quolibet peccato mortali amitti gratiam, sed non fidem.* in ipso hoc capite *fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, ceterosque omnes, qui letalia committunt peccata,* a regno Dei recte quidem excludunt, qua tales, sed tamen *fideles* esse, ac manere eos posse agnoscunt. quod rectius incredibile dixerimus paradoxon, quam Bellarminus pronuntiavit de 4. articulo A. C. Nam quis, quæso, vel quid coëgit viros *ecclesiasticos* ad tale decretum? quo fine, cui bono, cur tanto zelo *pro fide impiorum* in ecclesiæ externo cœtu, decreverunt, quod *vera* illa fides sit, licet non viva? cur eo delapsi sunt, tam subitò, agentes ex instituto *de justificatione*, ut *pro Christianis* reputent, qui fidem sine charitate habent, & secus sentientes anathemate percutiant? dicant, an tale quid

§. XLIII.

* vide pro-
mon. sessio-
nis 6. C. T.

suggesterit * *Spiritus S.* ex Scriptura? num verfabatur salus ecclesiæ in ejusmodi effato? num *orthodoxian*, quam Tridentini sibi tribuunt *cap. 11.* servare actueri aliter in *L. de justif.* non poterant, nisi impiis *vera* fides tam anxie assereretur? qui

qui tanto rigore can. 10. dici posse negant, homines formaliter justos esse *per ipsam Christi justitiam*: cur tam frigide de vera fide nunc loquuntur? unde hæc in ἀνεπίβεια terminorum subita variatio? quomodo capiendum, quod *fides* cap. 8. ipsis quidem est humanæ salutis *initium*, fundamentum & *radix omnis justificationis*, & quod tamen can. 28. *vera fides* impiis asseritur? si *vera* est fides talium: num & isti *vere* fideles censendi? Nos quidem serio profitemur, talem fidem plane removeri hoc loco debere. si quid vero est in vocabulo fidei, & vario ejus significato, quod in impiis locum aliquem habere videtur: debebant id suo monere loco, & sincere omnia ἀποδοῦναι ad ædificationem; modo Theologis & Christianis digno, neque locum sic dare pseudo-Christianis, ob rationem statûs ecclesiastici, in spiritu contradictionis, cum dedecore nominis I. C. veræ fidei & S. E. C. 2. Tim. 2. 19. sq. 16. p. 141. sq. 235. Apoc. 3, 1.

§. XLVI.

Gloriabatur Cervinus, P. R. in C. T. legatus (quam aliqua ex parte metuens) plurimum lucis L. de just. affusum a suis, qui a *vigesimo jam anno* Lutheranorum errores redarguerint; ut ipse refert Pallav. c. I. c. 2. §. 2. poterant proinde tot annorum spatio rem dispicere longe melius. Idem conjicit c. 9. §. 5. eos, qui in C. T. justitiam *fidei* tribuerint, non eam *fidem* intellexisse, *qua satis est Christiano nomini profitendo*, sed vividam fidem de Christi redemptione, ex qua fide confestim exurgat fiducia: atque adeo satis aperte indicat, quam fidem hic intelligi oporteat, nempe, quæ satis est Christiano *nomini profitendo*. enimvero nondum perspiciamus, quomodo tale decretum cohæreat cum doctrina de justificatione; neque hunc abusum vocabuli *fidei*, a tanta synodo orbis Christianus h. l. expectaverat. nullum tamen dubium est, quin doctrinæ nostræ: *quod nempe fides vera justificans non stare possit cum peccato mortali*, contradicere sic *cipit* suæ omni modo decreverint. etsi probe intelligebant, de quali *dium* *con-* fide illa capienda sit. *sic fidem amitti, quatenus significat fiduciam tradicent-*

*miseriordia, nullus ambigit: ita Walenburchii fratres Tr. de justif. c. 78. p. 484. Cur ergo favorem tam sanctæ doctrinæ convertebant Tridentini in anathema? Dicatur candide, quid in ea doctrinâ nostrâ desiderari merito possit, aut saltem quæ vox sonare magis in ecclesia Dei cum * favore debeat? leguntur de hac proprie accepta fide, duo loca insignia in apologia A. C. p. 71. 80. ex quibus tamen scriptor nostris temporis, Bossuetus in Gallia, talia haud ita pridem audacter collegit, quæ longe sunt infra viri famam T. 1. Var. Luth. T. 1. p. 150. 154. verbo: quocumq; veritas decretum hoc, scandalum non leve est, sic constituere publica autoritate, & ad talem doctrinam recipiendam conscientias, si justificari * quidem velint, adigere, ac velle, ne audeat quisquam aliter credere aut docere: quam pædian ecclesiasticam absit, ut boni ac sapientes viri imitentur, aut pariter contradicendi studio tantum indulgeant, adeoque tam misere illaqueentur, damno multarum animarum.*

§. XLVII.

Post hanc ἀντίθεσιν conferenda nunc est θεσις, seu quas determinationes Tridentini loco nostrarum, substituuntur tanquam meliores. hic liceat nobis caput 8. sess. 6. primo loco inspicere; quia inscribitur illud noranter: *quomodo intelligatur impium per fidem justificari? respondent, ideo dicimus nos ab Apostolo justificari, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis. fateatur Pallavicinus, per radicem non intelligi, nisi primam preparationem, primamque radicem necessariam ad omnes actiones proxime utiles ad consequendam justitiam l. 8. c. 4. §. 3. affinitatem quandam cum his habent ea, quæ supra p. 24. 28. retulimus. in primis pertinet huc caput 6. ipsius C. T. de modo preparationis. ac tale quid jam anno 1530. observavit apologia: nonnulli fortassis, cum dicitur, quod fides justificet, intelligunt de principio, quod fides sit initium justificationis seu preparatio ad justificationem, ita ut non sit ipsa fides, illud, quo accepti su-*

MHS

* Eccius hic favorem scholæ Scholasticorum tucur Luth. T. 1. p. 150. 154. verbo: quocumq; veritas decretum hoc, scandalum non leve est, sic constituere publica autoritate, & ad talem doctrinam recipiendam conscientias, si justificari * quidem velint, adigere, ac velle, ne audeat quisquam aliter credere aut docere: quam pædian ecclesiasticam absit, ut boni ac sapientes viri imitentur, aut pariter contradicendi studio tantum indulgeant, adeoque tam misere illaqueentur, damno multarum animarum.

An fides intelligenda sit justificatio, quatenus preparatio seu dispositio?

mus Deo, & somniant, fidem ideo valde laudari, quia sit principium
 p. 72. imo, observavit porro, prorsus non tribuunt fidei justifica-
 tionem, sed tantum dilectioni, qui somniant, fidem stare posse cum *repete dicta*
 peccato mortali p. 81. Probatum fuit ex scripturis, quod proprie *P. 34*
 ac vere ipsa fide πιστις, διὰ τῆς πίστεως, καὶ ἐκ πίστεως pro-
 pter Christum iusti reputemur p. 73. 57-77. 81. ostensum, ne
 vestigium quidem hujus extenuationis in epistola ad Ro-
 manos, ex qua tanquam sede, locus ille controversus de-
 sumptus est, apparere. provocatum ad consensum Prophe-
 tarum & Apostolorum, qui profecto judicandus est univer-
 salis ecclesie consensus esse p. 75. 141. 173. sq. 220. 279. quæsi-
 tum, num ita parum moveantur, quod toties id ipsum re-
 petatur & exaggeretur in Scripturæ locis clarissimis? ut in
 limine disputationis nostræ præmissimus, monitum, ne con-
 fingerent inanes distinctiones ad eludendas scripturas.
 Significatum sæpissime, non peti, ut honoris sui jacturâ sar-
 cirent concordiam; quod tamen decebat bonos pastores
 facere. pag. 44. 187. 232. 292. 296. data largissime occasio
 expediendi conscientias, & mentem nostram plene in-
 telligendi. agnoscunt ipsi Tridentini capite 6. illud *in primis*
 verum esse credendum, justificari à Deo impium per gra-
 tiam ejus, per redemptionem, quæ est in C. J. adeoque po-
 terant se liberare ab ejusmodi extenuationibus fidei, & per-
 suaderi, ut plus tribuerent fidei. neque tamen impetrare
 hætenus a se potuerunt Pontificii, ut quicquam solide
 corrigerent, aut prorsus cederent veritati. Confugiunt,
 more omnium tergiversantium, ad alium *sensum*, quo *intel-*
ligenda sint verba Apostoli, eumque sensum vocant *perpe-*
tuum ecclesie catholicae consensum, non probant. Gravissime
 Melanchthon in scripto publico de causis recusati concilii
 Tridentini: *non errat, inquit, ecclesia. quæ impudentia! cum*
n conspectu sint tam tetra mala, nolle tamen fateri errare-negant,
n scriptura prophetica & apostolica hanc fidem, qua accipienda est
emissio peccatorum, contineri, cum Petrus hunc esse universæ ec-
clesiæ

ecclēsiæ consensum affirmet Act. X, 43. sed reclamant adversarii. multa sunt obscura, quorum declaratio prius ab ordinaria potestate petatur. at etiam sicubi in parte aliqua non statim rudibus se offerat sententia, tamen summa doctrinæ perspicua est, in penitentia vere se recipi propter Filium, ac oportere in nobis, postquam venati sumus, lucere hanc fidem. consideravimus fontes doctrinæ, contulimus ecclesiæ tempora, quæ servimus antiquitatis sincera testimonia, ne novas aut ambiguas sententias amplecteremur. collata omni antiquitate, videmus esse perpetuum consensum catholice ecclesiæ Dei, h. e. omnium eruditorum & piorum, qui fuerunt omnibus seculis in ecclesiâ DEI. & cum scriptum Pauli non ausim prorſus delere, audacter fingunt cavillationes ad eludendam evangelii veritatem. veritas non est in illo cœtu, qui prophetica & apostolica scripta negligit, & præſentes religiones propter tranquillitatem boni consulendas esse dicit.

§. XLVIII.

Capite 7, quod Luthero oppositum fuisse fatetur Palavicinus l. 8. c. 14. §. 2. Tridentina synodus, medium quasi terminum præmittit suæ theſi de fide, tanquam dispositione tantum ad justificationem, eo magis insinuandæ. nam fides, inquit, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. & c. quem medium terminum, in medio etiam capituli positum, & multis in contextu involutum ambiguitatibus ut evolvamur; stricturis quibusdam opus esse videtur. (1) convertimus medium terminum hoc modo: quia vera fides per nativam suam indolem sese unit cum Christo, & vivum corporis ejus membrum efficit, igitur fides talis non tantum nude disponit ad justificationem, sed medium illud verum est, quo vere apprehenditur justificatio. quia fides hæc, de qua loquimur, ita Christum apprehendit, ut ex metu peccati intus se abscondat in Christi merito, Christo inhæreat, Christo se involvat, neque tantum quasi nuda manus sit, sed & tale quid, per quod homo in ipso Christo invenitur. Philipp. III, 3. desideriiſque ac votis suis τελείως fertur

de unione fidei cum Christo.

tur *ἐν τῇ τῷ Θεογενεῖν ὁμοίᾳ χάριτι* 1. Petr. I, 13. 21. Ephes. III, 17. utens Christo per intimam & ineffabilem transmutationem peccati nostri in illius iustitiam, seu incorporationem nostri in Christum, ut loquitur Lutherus T. 2. Jen. Lat. f. 110. b. T. 1. f. 170. b. Joh. VI, 35. *Extra nos, & extra omnium hominum merita, opera, virtutes atque dignitatem quaerenda esse dicitur nostra iustitia & consolatio, ut in solo sit D. N. I. C. p. 695. nervose iterum Lutherus: Darum müssen wir uns unter dieser Gluckhenne-Flügel schmiegen / und nicht in eigenes Glaubens Vermessenheit austreten - denn unser Glaube / und alles / was wir haben mögen aus Gott / ist nicht gnugsam / ja es ist nicht rechtschaffen / es thue sich denn unter die Flügel dieser Gluckhen: n - und in ganken evangelio thut er (Christus) nicht mehry denn zeucht uns / aus uns / in sich / breitet seine Flügel aus / und lodet uns unter sich R. post. Ep. am Christstage ir. Steph. Maria Himmelf. non quasi extra me positus operetur in me talia (veritatem & vitam) in me debet esse, manere, vivere, loqui mecum. in Consil. Melanchth. p. 247. quantum attinet ad justificationem, oportet Christum & me esse conjunctissimos - sic Paulus conatur nos prorsus abstrahere ab inspectione nostri, & in ipsum Christum & fidem Christi transplantare. quare fides est pure docenda, quod scilicet haec fides Christum & me artius copulet quam maritus est uxori copulatus. T. 4. Jen. L. f. 55. b. T. 6. Jen. G. f. 201. a.*

§. XLIX.

(2) Ut fides sic apprehendat Jesum Christum, ejusque satisfactionem (ceu rem ipsam, circa quam proprie versatur) uniat ad nos, ut nostra fiat: ad hoc fidei, quasi prius informi, non est opus, ut ad eam spes demum accedat, & charitas, sed quemadmodum utiq; conjuncta est cum spe & charitate p. 586; ita praestat hoc fides ex natura sua divina, quam accepit ex verbo evangelii. communicat nobis Christi iustitiam, & ut iustificet, non eget auxilio vel intuitu nostra charitatis,

F

qua-

Fides vivam quidem, unde? *supra p. 6. 22.* *quatenus nobis Christi meritum applicat & communicat p. 103. 125. 137. 693. sq. est ipsa fides praterca vivum quiddam, & solida fiducia in Dei clementiam, nova & spiritalis vita supra p. 6. p. 71. 170. 586. 701. concedimus, solam vivam fidem justificare, sed neq; proprie active, neq; ita, ut hæc fides demum vitam suam habeat ex operibus. nam fide renascimur. non renascimur per opera p. 108. sq. bene de ipsis Tridentinis meritus est G. Cassander, cum eorum in gratiam ad art. 4. A. C. ex libro Ratisbonensi sequentia producit: *firma & sana doctrina est, per fidem vivam, & efficacem justificari peccatorem. vocamus autem fidem vivam motus Spiritus S, quo vere penitentes veteris vite, eriguntur ad Deum, & vere apprehendunt misericordiam in Christo promissam, ut vere sentiant &c. p. 7. F. C. p. 693.* Tridentini enim turbant rem, cum fidem *veram & vivam* canone 28. distinguunt, & negant, quod fides Christi *vivum* membrum efficiat, nisi ad eam spes accedat & charitas. quo consilio expresse fidem hic in informem & formatam dividere renuerint: incertum. Certum tamen in C. T. distinctionem hanc revera regnasse, & in scholis hodiernum regnare §. 36. ipsa cæterum distinctio & affectata *correctio*, inventa est eam ob causam, quia videri voluerunt concedere quid scriptura, toties de fide justificante dicenti p. 81. 101. 693. Recte vero Lutherus phrasin de viva fide iustifica per charitatem actiuosa; cum in colloquio Ratisbonensi anno 1541. obrudi vellet, quod justificet ea ratione, eo respectu, quo operatur; rejecit. legatur ven. Speneri *freudige Gewissens Frucht* p. 72. sq. **

* *quis ergo est, qui nostro tempore fidei naturam in justificationis negotio, ut per charitatem operosa est,*

explicandam urget? quis, quæso, est turbator, quem caveri vult autor diss. de iure decid. contr. Tb. p. 30? supra p. 22.

§. L.

(3) Ex natura fidei & absolutionis non minus perspicue propositum est a majoribus nostris, *proprium, & distinctum* a charitate, officium fidei, conforme rebus & statui lapsi hominis. discerni enim nunc fidem & charitatem debere, seu distincta esse, ipse textus C. T. nimis ostendit. ergo confusio loci relinquendus nullus, nedum data opera. quaritur revera hic de medio vel organo, quo peccator contritus agat cum

cum DEO offenso de reconciliatione. *at cū DEO non potest agi.*
Deus nō potest apprehendi, nisi per verbum, & quidē per suum momentum
 ipsius *verbum*, per verbum gratiæ, per verbum certum & ad se *discriminis*
 pertinens. p. 72. verbum tale non potest apprehendi, nisi si *inter offici-*
 de. *si quis hoc negat fidem esse, prorsus non intelligit quid sit fides. um fidei,*
 p. 88. 108. 102. nostra contra dilectio non potest eo hominis *que ad mi-*
 statu recte concipi operari, quam conventum prius est de *sericordiam*
 quæstione hac quasi præjudiciali. qui sentiunt, quid sit ira *confugit, &*
 quid iudicium Dei, fidem huic monito adhibebunt citius: *inter officiū*
 donec enim humanus animus otiosus est, nec sentit *iram.* *charitatis.*
 aut iudicium DEI, fingere potest quod velit DEUM sic dili-
 gere p. 61. 63. 66. neque sic etiam in charitatē *nostram* quadrat
 officium applicationis. absolum plane est, dicere velle: ego pec-
 cator applico mihi verbum reconciliationis, qua tale, *per*
 vel *propter meam* charitatem: jam diligo Deum, ideo DEUS me
 recipiet: charitas mea secum ducit illam *causam*, quæ mo-
 vere Deum debet, ut sit propitius. p. 124. atqui dilectio, in-
 quiunt, est *maxima virtus*, opus est Spiritus S: quid obstat,
 quo minus maxima virtus iustificet? p. 87. 102. sq. respon-
 detur: primum hoc certum est, quod non *accipimus remissio-*
 nem peccatorum, neque per dilectionem neque propter dile-
 ctionem nostram, sed propter Christum (adeoque) sola fide,
 quia tantum *ita* iustificamur, cum *apprehendimus propitiato-*
 rem Christum. imo, sicut *lex* etiam maxima seu prima non ju-
 stificat, ita nec maxima virtus *legis* (dilectio *nostra*) sed illa
 virtus (loquendo per antanaclasin vel mimesin) iustificat, *que*
 apprehendit Christum, quæ communicat nobis Christi meri-
 ta, qua accipimus gratiam & pacem a DEO. Hac autem
 virtus fides est. Charitas habet alia officia *ibid. & p. 74. 106.*
 586. textus germanicus hoc loco novas emphases suggerit:
 Es wäre wahr / wenn wir umb unser Tugend willen einen
 gnädigen Gott hätten - Umb Christi willen nicht umb unser
 Tugend willen. Darum seind wir nicht umb der Liebewillen
 gerecht. der Glaube aber macht gerecht / nicht umb unser
 Thuns

Thuns willen / sondern allein derhalben / daher Barmherzig-
 keit suchet und empfahet die Liebe / wenn wir sie schon gleich
 haben / so ist es nichts mehr denn eine Gerechtigkeit des Ge-
 setzes. sie ist ie nicht Christus. Nun kan Christum niemand /
 als einen Mittler / fassen durch Wort / sondern allein / daß wir
 dem Worte glauben / welches ihn / als einen Mittler / prediget.
 F. C. p. 692. forte ex ingenio ipsa verba apprehendendi, *confiden-
 di gratis*, dilectioni etiam aptaveris. sed si ad fontes, si ad
 animum, causam hanc revocaveris, semper promicabit di-
 stinctum fidei officium. p. 139. sq. 62. ita fides, quæ gratis ac-
 cipit remissionem peccatorum, quia opponit mediatorem
 & propitiatorem Christum, non opponit nostra merita,
 aut dilectionem nostram. p. 68.

§. LI.

(4) Ita demum sit DEUS nobis peccatoribus *objectū ama-
 bile* p. 48. statim fides ex evangelio nata, parit charitatem,
 illa bonæ voluntatis *genitrix* p. 18. sed qui fieri possit, ut fi-
 des non sit fides, & DEO charitatem vel actus ejus elicitos
 opponat? (de quibus p. 61. 66. 121. 175. una cum Chemnitii exa-
 mine) in corde ipso poterit Christianus, si in interiora sua
 descendat, hæc duo conjunctissima, fidem & charitatem,
 vere tamen in hac quaestione fecernere. etsi, cum DEUS
 remittit peccata, *simul* donat Spiritum S. & gratiam san-
 ctificantem, tamen mens perterrefacta revera distincte *primum*
 quærit ipsam remissionem peccatorum & reconcilia-
 tionem, de hac angitur, de hac *primum* dimicat: ad mini-
 mum ira subigitur, ut hanc distinguendi vim, si *precari* De-
 um velit quoad rem, lubentissime sit in corde admissura. p.
 74. 120. 130. 688. de qua pædia A. C. contemptim quidem lo-
 quitur Bossuetus *T. 1. Var.* p. 150. 160. sq. sed ipsum G. T. quod
ibidem allegatur, c. 6. aliquatenus testatur de isto nostro or-
 dine, dum α) ad objecta fidei *illud inprimis* refert; a DEO
 „justificari impium per gratiam, per redemptionem,
 „quæ est in G. J. & β) dum peccatores se esse intelligentes,

D. Hopfn. de
 just. p. 1106.

probat ex
 praxi.

Hopfn. fasc.
 disp. p. 435.
 sq.

a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur; ad,,
 considerandam DEI misericordiam se convertendo, in,,
 spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum pro,,
 pitium fore, illumque γ) tanquam omnis justitiæ fontem,,
 diligere incipiunt &c. Fratres Wallenburchii: *ideo* inqui,,
 unt, charitas est inseparabilis a fide actu justificante, quia,,
 fides est justificans, in *quantum* acceptat remissionem pec,,
 catorum, quam Deus donat in Filio suo, & format in cor,,
 de hominis amorem Dei, atque persuasionem, quod ame,,
 tur. *de just. c. 19. p. 390. c. 52. p. 440.* ”

§. LII.

(5) Verissime dicitur fidem *sine* operibus mortuam esse
 & otiosam, respectu ad eos habito, qui de professione fidei
 gloriantur sine operibus, & recte negat Jacobus, *vanum* ho-
 minem, *κενὸν, εἰὰν πίστις λέγει τις ἔχειν, ἔργα δὲ μὴ ἔχη*, servari,
 vel justum ostendi posse Jac. II, 14. 20. sq. p. 101, 109. 693. sed
 non est scop9 Jacobi, agere de *modo* reconciliationis *acci-*
pienda, sed professionis fidei, quam quis jactat, operibus fi-
 dei probandæ. ipsa synodus c. 10. Jacobum interpretatur
 de *accepta* justificationis *incremento*. nostrum autem caput 7.
 inscribit; *quid* sit justificatio impii, & quæ ejus *causa*? ergo
 si Jacobus de eo non agit, *quid* sit justificatio, non censen-
 dus est *restringere* alia scripturæ loca, quæ describunt, *quid*
 sit justificatio per fidem. fides viva non est absque bonorum
 operum studio, sed justificat coram Deo absque bonorum
 operum subsidio. fides vera nunquam mortua est vel otiosa,
 & tum omnium minime otiosa, cum absque aliis respecti-
 bus rectâ tendit ad bonum justificum, & tam serio, tamque
 vivide circa Christum suum amplectendum versatur. ita
 omnino est; cum apprehendit propitiatorem. non agit cau-
 sam ex suis operibus. sed nec *inde* judici causam suam com-
 mendare auder, quod Deo hanc quasi gratiâ dare, & parcissi-
 ma operum fidei asfirmatrix esse velit. *supra p. 17.*

§. LIII.

(6) Locus Rom. V, 5. incongrue adducitur in C. T.

F 3

cap.

cap. 7. & can. 11. quia is non demum docet, quid sit justificatio
 impii, & quæ ejus causæ, ut quidem caput 7. inscribitur, sed
 quid habeant *jam justificati*, & quidem *jam justificati ex fide*
 v. 1. quorum in cordibus *charitas* diffunditur per Spiritum.
 S. p. 78. 100. 125. 128. sq. nec opera placent nisi *jam reconcili-*
atorum p. 80. 96. 103. 256. cum Spiritus S. operatur fidem,
 simul ex fide oritur in corde charitas nostra seu conspectus
 Dei, tanquam objecti amabilis, quam fides patitur comitem
 esse veluti & pedissequam, non *attricem* vel *advocatam* coram
 ipso tribunali strictæ Dei justitiæ p. 73. 693. (7) circa dictum
 Pauli Gal. V. 6. alio plane rem vertunt Tridentini, quæ Paulus
 voluit. Paulus attollit vocem ad *fidem* ejusque efficaciam *extollen-*
dam atque pure tuendam, ut pater ex v. 4. 5. 9. illi contra to-
 no sic afficiunt phrasin: *per charitatem*, ut fidem *correctione*
aliqua deprimant, utque fidem in ipso negotio justificationis,
 quatenus adhuc *justificatura* est, restringant. p. 81. 101. 586. Pau-
 lus ita laudat fidem, quod ultro operetur per charitatem, ne-
 quis hoc prætenu quid desideret, *ideoque* * assui aliud quid
 oportere existimet, aut per doctrinam suam de fide justifican-
 te, derogari bonorum operum studio conqueratur. illi
 contra locum hunc *ideo* afferunt, ut fides reputetur esse
 efficax ad justificationem, *in quantum* per charitatem ope-
 ratur. *a charitate*, Alphonsus a Castro scribit, *fides habet, ut*
justificet l. 7. c. bar. c. 2. supra p. 39.

§. LIV.

(8) Merito suspicionem magnam pertinaciæ nobis
 movet, quod adeo religiosi sunt & parci cum suo *formaliter*,
 ut can. 10. anathema illis sit, si quis dixerit, homines *forma-*
liter justos esse per Christi ipsam justitiam; nullatenus au-
 tem parcunt vocabulo *unicæ formalis causæ* c. 7. cum loquun-
 tur quam intricatissime. in illa *unicæ formalis causæ* describen-
 da, modo *gratiæ*: modo *charitatis*; modo utroque *gratiæ &*
charitatis vocabulo utuntur. quod in gratiam Scholastico-
 rum variarumque scholæ sententiarum factum fuisse fate-
 tur Pallavicinus l. 3. c. 14. §. 2. ut se absterent ab ea declaratione,
 duent, an una eademque res ille forent f. 282. Bellarminus et-
 iam docuerat per aliquod tempus, ex mente C. T. unicam esse
 formalem causam justificationis, eamque *in fide, spe & cha-*
 ri-

* Luth. pref.
 ep. ad Rom.
 §. glaube
 ist nicht
 der ic.

de causa
 formali ju-
 stificationis
 juxta C. T.

ritate consistere. haud dubie hanc ob causam, quia omnium trium, fidei, spei & charitatis, in C. T. fit mentio. postea in recognitione librorum de gratia & L. A. *magis proprie*, corrigi se, *dixissem, eam unicum formalem causam in charitate consistere. quatenus enim fides & spes necessario requirantur ad justificationem, tamen id, quod verissime, propriissimeque justificat, tanquam unica formalis causa, charitas est, de qua concilium loquitur.* f. 9. nobis quidem tanti non est notio aliqua scholastica, vel τεχνολογία, ut toti ecclesiae, quam docere voluit Synodus, propterea impedimento simus ad rem ipsam efficacius cognoscendam p. 125. magis limpida est vox scholae nostrae, quae formam justificationis docet absolvi tum reali atq; intima imputatione justitiae Christi, tum non-imputatione peccati. Bellarminus l. 2. d. just. c. 1. existimat, variare nostratum sententias circa causam formalem justificationis, & speciminis loco adducit verba Matthiae Illyrici, qui ex Luthero se didicisse gloriatur, quod justitia, quam Deus impio imputat, non sint qualitates aut virtutes nostrae, neque ipsa, Dei essentia seu divina & substantialis justitia, sed totum, opus, quod Christus homo & Deus in una persona, mediator noster, pro toto genere humano praestitit. sed neque Illyricus more scholastico anquirere de notione formali intendit, neque non magno consensu nostratum ita docuit. F. C. p. 587. 696. sq. §. L V.

(9) Periculum non leve est, quod, Pallavicino nihil dissimulante, theologii isti (supra §. 36. memorati, qui de fide paulo rectius censuerunt, & de causa illa formali dubitarunt) *meriti vim attenuasse, atque in eo ipso ab haereticis haud multum abfuisse habiti sunt. cap. 4. §. 4. quasi vero orthodoxiae signum existimari debeat, quod in C. T. cap. 16. & can. 32. justificatos bonis operibus vere mereri definiunt. nimis ingrati in liberalitate nostrae circa vocem merendi, laxius a Patribus acceptam p. 138. sq. 140. 229. 96. 117. 48. ipsi de cetero tribunal Domini nostri Jesu Christi, ante quod perferre stolae justitiae jubent, ad finem c. 7. nominant. fateri iterum Pallavicinus, statum quaestionis fuisse in C. T. An qui ad*

de zelo adversariorum circa meritum.

Dei

Status „ Dei tribunal se sistit cum iustitia infusa & cum *meritis* vi illi-
questio- „ us comparatis, satis virium obtineat ad salutem consequen-
nis de me- „ dam? an præter hæc necesse sit, ut illi Christi iustitia impu-
rito. „ teretur? *c. n. §. 7.* Nobis consideratio seria *tribunalis* magna ba-
 sis est datæ nostræ demonstrationis p. 129. sq. 176. 723. Quod
 (*ibidem, & sess. 14. c. 8. can. 13.*) Tridentini fingunt, Christum me-
 ruisse nobis, ut & nos vere mereri possimus: auget potius,
 quam tollit periculum. quia nomen Christi datum qui-
 dem nobis est, ut possimus illuminari, justificari, sanctifica-
 ri, & tandem plene liberari p. 76. 117. 122. sed, quod illi meri-
 tum ex merito sic derivare audent, id se ipsum evertit, & ab-
 usus est doctrinæ de merito Christi p. 62. 74. 84. 127. 39. sq. 219.
 sq. 279. sq. Neque sibi bene consulunt Tridentini quod con-
 cludunt *can. 33.* qui & est ultimus: *siquis dixerit, per hanc do-*
ctrinam ALIOVA EX PARTE meritis J. C. D. N. derogari ac non
 potius J. C. gloriam illustrari, anathema sit.

§. LVI.


Hæc sunt quæ repetere placuit, non solum ut opponere possimus adver-
 sariorum doctrinæ, sed etiam ut ipsi fidem exerceamus. p. 127. 117. 179. Si qua
 adhuc desiderantur, supplenda sunt ex iis, quæ allegavimus, submittimusque
 nos totos iudicio bonorum ex sacris literis; ubi in bonis & firmis causis una at-
 que altera solutio sunt. a fontibus corrigit omnia, quæ videntur offendere
 p. 94. 60, 102. 141. Certe locus hic recte intellectus illustrat honorem Christi,
 affert vera solatia & scilicet præcaver. p. 60. 499. 682. qui præsentis* religionis
 propter tranquillitatem retinendas fuisse censent, censuram audiant Me-
 lanchthonis: si in unum, dicentis, conferantur omnia scandala, tamen unus


*supra p. 37.

Luth. T. 1. Ien. articulus de remissione peccatorum, quod PROPTER Christum gratis conse-
L. f. 291. b. §. quamur remissionem peccatorum PER fidem, tantum asserti boni, ut omnia in-
 quod si popu- commoda obruat -- isti rationem excitati schismatis reddent, qui manifestam
 lus. veritatem in initio condemnabunt p. 296. sq. Ob studium charitatis vel sanctifica-
 tionis conservandum, nulla nostri persecutione opus fuit, quoniam nihil ejus
 urgere possunt adversarii, quod non longe purius & firmitus doceri potest absq;
 hypothesebus Tridentinis. charitatem referunt ad unicam causam formalem
 justificationis §. LIV. iidemque derepente, anathema definiunt. si quis dixe-
 rit, eum qui fidem sine charitate *habet, non esse Christianum! Scimus Triden-
 tino spiritui nihil nos opponere, nisi cuius causa ipsi sunt: si qui sub illius jugo
 sentiunt rectius, gaudemus ex animo, & sit soli Deo gloria! p. 126. 141. sq. Doctores
 usquequaque in maximo sunt periculo, ne alter propter alterum veritatem
 detineat in argutiis scholasticis, & ex humanis consiliis. p. 18. 59. 141. 235. quod
 & nostratibus dictum est! O DOMINE J. C. in incito & celebra tu ipse
 concilium, & libera tuos aduentu tuo glorioso. AMEN!

* 1. Cor. XVII,
 22. XII, 3.
 V. 11. supra
 p. 33.

p. 302.






153094
AB 153 094




56

VD 77







DE
HARMONIA
FIDEI,
QUÆ justificat, cum FIDE, QUATENUS
justificare dicitur,
DEMONSTRATIO SYMBOLICA
Ex Augustana Confessione, ejusque Apo-
logia præcipue,

Quam
Una cum brevi collatione
CONCILII TRIDENTINI
PRÆSIDE

PAULO ANTONIO,
SS. Th. L. ejusdemque P. P. Ord. nec non
Facultatis suæ hodie Decano, & Confist. Magdeb. Confil.

examinandam
ad d. XXV. Anno M. DC. XCVI,
submitit

WOLFGANGUS BALTHASAR *Rauner*!
Augustanus, jam V. D. M.

Secunda, eaque paulo auctior editio.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.